



**Quae regia potestas? Quo debent authore solemnes ecclesiae  
conventus, indici, cogique? Qui in his, cum emendanda est  
omnium ordinum, depravatio, regum, sacerdotum, nobilium,  
procerum, magistratum, populi, locus & ordo confidendi : ex  
sacris literis, piorum authorum libris, conciliorum omnium  
actis, compendiosa discussio, Carolo IX. adeo coronato  
Francorum regi, domino suo ...**

<https://hdl.handle.net/1874/388497>

# QVAE REGIA POTESTAS?

Q V O debent authore solēnes Ecclesiæ conuentus, indici, cogique?

Q VI in his, cum emendanda est omniū ordinū, deprauatio, Regum, Sacerdotū, Nobilium, Procerum, Magistratum, Populi, locus & ordo considendi.

*EX Sacris literis, Piorum authorum libris, Conciliorum omnium actis, compendiosa discussio.*

CAROLO IX. A DEO CORONATO FRANCORVM REGI, DOMINO SVO.

N O S T R A, tibi tota que seruit opella libello,  
 (Rex pie) sincero quantus es, ore probans,  
 Pensatum iusta credet mercede labore,  
 Si posthac Tantus, Quantus es, effe voles,  
 Et tibi commissa sic sis celijor orbe,  
 Ut soli tantum sibi ciare Deo.

CL. G. PRAET. SEN.  
 AVTHORE.

APVD SENONES,  
 E Typographia AEgidii Richebois,  
 M. D. LXIX.

ГАВЕРЕГІА

ІОДЕТАСІ

О 42

Іоаннівській церкви

A I O T Z I T H  
Q V A E R E G I A P O-

T E S T A S ?

Quo debent authore solennes Ecclesiæ conuentus, indici, cogique?

Quis in his, cum emendanda est omnium ordinum, deprauatio, Regum, Sacerdotum, Nobilium, Procerum, Magistratuū, Populi, locus & ordo considendi.

*EX Sacris literis, Piorum authorum libris, Conciliorum omnium actis, compendiosa discussio.*

C L . G . P R A E T . S . A U T H O R E .

**Q**UANQVAM tibi satisfacturi, iam nota con gesserimus: tamen in colligendis tantū temporis impendendum fuit, vt intra præscriptæ dilationis angustias, opera abs te mandata non potuerit exigi. Vnde siquid in mora peccatum est, non nostrum nobis erratum clemens condonabis, sed tibi iustius imputabis: qui sermone rem verbosiore, licentiore, & diffusiore, tractari præcepisti. Et iure quidem, cum Seria tanto meliora sint, quanto prolixiora. Cum rebus vtilibus modū de præscriptis terminis ponere, sit vtilitatē quadam tenus commodis alienis decerpere, & præter charitatis legem inuidere, quę tanto potior, tantoq; gratior est, quanto diuturnior. Vocandos aliquot notæ probitatis homines, in arcarius & intimius quoddā colloquiū præmones, matris Reginæ, & summatū Regiæ agna-

A. ii.

## E P I S T O L A

tionis Principum iussu, ad componendas de negotio Religionis, iampridem natus, & subinde nascentes turbas, & vt sua tantæ rei non desit veritas, iam præcipiti murmure quæri refers, qui, & ex quo ordine, colloquii Præsides futuri sint? Nouum esset, cum licentiosa rerum diuinarum deprauatio, iugibus diutinis & efficacissimis ad emendationē, piorū querimoniis huc tracta & adacta sit: si bonis cœptis inimicus ille homo, cui mille nocendi artes, mille argumenta supersunt, non totus incüberet, vt nascentem & adhuc quasi laetem sanctæ concordiæ frugem, contentiosæ ambitionis lolio, conaretur inficere. Sed opponendæ artes artibus, & occurrentum precum frequentium pharmacis, ne concordiæ recentis agnelli, fascinis inquinetur, offendantur, perdantur. Qui præesse volunt futuro conuentui, commenta, personas, laruas, fucos, sui gradus ecclesiastici, prætexūt. Detonat insuper, rem tentari omnium maximè ecclesiasticā. Proponunt præterea, rem iugi consuetudine, per continuas in rebus sacris operas, sibi cognitissimā, nullis vel Ducibus, vel Magistris, vel Monitorib⁹, vel Præsidibus, quā sui ordinis viris, componi & melius peragi posse. Causantur nostri ordinis homines, dicam an parcam dicere? ab his cuiusdam notę nomine, laicos vocatos, ad hunc cœtum propter imperitiam, & nullam sacrarum literarum cognitionem, ineptos, vt hoc quasi velo, ne dicam telo, dum laicos excludūt, summā potestatem, (Regem non audent dicere) tanquā sacerdotalibus.

infulis carentem, cum Populo suo, id est, nobiscum: non tantum coetu depellant, sed nec auditorem, vel comitem dignentur. Nobis autem, no nostram, sed I E S V - C H R I S T I gloriā, fucis eorū, commētis, artibus, mēdaciis, prope aliam factā, in suū natalem nitorem vindicātibus, alia, longe sanior & verior sententia est. In hoc scilicet conuētu, locum suum Cleto, id est, illis: Populo, id est, nobis, & summum Principi, tanquam Superinspectorī, Legato, Proconsuli, & soli vere Dei Vicario, esse debere. Quinimmo & super hæc audemus, nullū illis, id est, deprauatis clericis, ibi confessum esse relinquendum, nempe reis obscuratæ Dei gloriæ, futuris, & siquidē vllus debetur, hūc omnibus, id est, ipsis & nobis, promiscuum postulamus, hoc ipsis modestiores rei, quò nos quoque reformandi, reatum agnoscimus, ipsis in primarum cathedralium ambitu, pertinacissimè obstinatis. Hæ sunt quædā velut linæx præscripti abs te nobis operis, consulente, vter ex reis, id est, illis & nobis, qui reformandæ sacræ Religionis ardoribus, quasi quibusdā febribus æstuamus, & ægroti laboramus, sanius sapiat, vel insanius desipiat? Ego autē, vt futuri laboris scopum, quodam compendio, & per indicem, tibi sub oculis ponam, hæc à me quæri existimo. Quid & quantus sit in Ecclesia Rex? & nos, id est, Clerus & Populus, quid in hoc, qui propediem cogendus est, conuētu, præstare & agere debeamus? An solius Principiis censura, an omniū sit? an illius decretorū exequendorū solius sit & efficacia & cura?

Quid sit  
Rex in  
Ecclesia..

vt scilicet præsit & audiat, & nobis utrinque discep-  
tibus, in unam concordiam disposita, quasi ca-  
put nostrum oculis suis, vel probet, vel improbet,  
improbata respuat, & probata strenuus exequitor,  
Edictis palam propositis, tanquam lingua nostra, lo-  
quatur. His veluti capitib⁹, subter scribenda, tanquam  
partes partibus, & membra membris, reddere conan-  
tem, si ieenum, nec satis plenum inuenieris, feras, si  
redundantem, etiam probes, qui licentiore epistola,  
& vberiore tractatu, negotium exequendum man-  
daueris. Ad huius ergo corporis constitutionē, con-  
tendentibus nobis, primore tractatu, de capite quæ-  
rendum est, & eius, non aliunde quam ex veritatis  
fonte, petenda & statuenda est ratio, ratio autē, cum  
& ipsa sit res Dei, ex literis quoq; Dei formanda est.  
Eum (inquit Dominus per Mosen) Cōstitues Regē,  
quē Deus tuus Elegerit, de numero fratru tuorum.  
Plena sacramentis hæc verba sunt. In hiis primū  
miremur Deum iudicem, qui vasorum domus suæ  
figulus amplissimus, humanæ quasi discussionis ima-  
gine, probat quę quib⁹ imponat, quę velit imperare,  
quę velit parere, & cum uno omnia luto constent,  
& una omnia figulauerit rota, & una coixerit for-  
nax, secundum tamen figuli, non notam, sed iustum  
voluntatem, alia aliis præferuntur, & quædam sunt  
in honore, & quædam sunt in contumeliā, id est, in-  
terioribus ministeriis deputātur. Et ut uno verbo res  
exigatur, cum sic elegerit Deus, diues tamen in om-  
nes qui inuocant nomen eius, & sine improperio

summus largitor, tam sancti negotii facit populum  
participem. Eligit Deus, & constituit Regem Popu-  
lus. Certis tamē terminis hæc munera societas præ-  
scripta & definita, extra gentem suam, euagari non  
sinitur. Non poteris ( inquit Deus ) Alterius gentis  
hominem, Regem facere, qui non sit frater tuus. Le-  
gitur ergo Rex à Deo, cōstituitur à populo, sed gen-  
tilis, sed contributus, sed cognatus. Cum aliunde su-  
mitur, vel Dei vindicis punitio est, vel regni muta-  
tio. Gloria ergo Deo, qui nō ita pridem, hæreditaria  
suffectione, Francis, Franciū Regem imposuit, annis  
quidem puerum, sed Maternis & agnatorum Prin-  
cipum cōsiliis, sua pueritia, consilio& senectutis se-  
ria, superantē. Sed nec satis visum est Spiritui sancto  
actum esse, si præscriberet electorem Principum esse  
Deum, populum constitutorem, & cuicunq; natio-  
ni ex se, non aliunde, legendum, nisi lecti quoque &  
constituti Regis, mores formaret, dicens, Postquam  
autem federit in solio regni sui, describet sibi Deu-  
teronomium legis, in volumine, accipiens exemplar  
à sacerdotibus Leuitice trib⁹, legetq; illud omnibus  
diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum  
suum, & custodire verba & ceremonias eius, quæ in  
lege præcepta sunt. In solio regni, Regiæ sup omnes  
contribules potentia gloriā agnoscere debemus,  
vt omnes, quamvis impares gradu potestatis, & alias  
honoratior alio, inferiores tamē & subditi, in regia  
sublimitate, grandiorē & excelsiore Deum ame-  
mus, ex æquo omnes, & si occasio erit, pariter timea-

## EPISTOLA

mus. Ex descriptione autem Legis, cuius Dominum  
Deum agnoscimus authorem, admonemur, siquid  
intra cancellos & limites Legis, cōstituerit Princeps,  
tanquam cælo demissam veritatem, obuiis pronis &  
facilibus animis, excipiamus, exceptumque strenui  
compleamus, citra moras insolentis inquisitionis,  
non cunctantes, non murmurantes, quis enim fe-  
rendus est post diuinum consilium discussor? cum  
scriptum sit, Per me Reges regnāt, & potentes iusta  
decernūt. Hoc est, Leges regiæ, Legibus diuinis con-  
sonæ, iam nō regia mandata sunt, sed diuina, ne vel  
ipsa deses subditus negligat, vel curiosus scrutator  
inuestiget, ne dum scrutatur maiestatem, opprima-  
tur à gloria. Quòd autē exemplar Legis, à sacerdo-  
tibus Regi suggestendū statuit Spiritus sanctus, qui  
continet omnia, nō inclusus vel exclusus, nō ita in-  
tra terminos cogendum est, vt nomine sacerdotii  
tantum expressi sint, qui hodie sacrifici sunt & vo-  
cantur, quasi sacerdotib⁹ Leuitice tribus, veri sacer-  
dotes imaginariis, suffecti, excidit enim Leui, & Le-  
uitica tribus, exciderunt & vetera, & noua fecit om-  
nia Deus, mundum per Christum reconcilians sibi,  
& per Apostolorum suorum præconia, palam iussit,  
omnibus in gratiam suam vocatis, edici. Vos genus  
electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus  
acquisitionis, vt virtutes adnuntietis eius, qui de te-  
nebris vos vocavit, in admirabile lumen suum, qui  
ali quando non populus, nunc autem populus Dei,  
qui non consequiti misericordiam, nunc autem mi-  
sericord

fericordiā consecuti. Cui succinit Edicto, alias item seruus Dei, qui testimonium perhibuit verbo eius, & ipse quoque legatus I E S V - C H R I S T I , dicens, Ipse (vtiq; Christus) est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & Princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris, in sanguine suo, & fecit nos regnum, & sacerdotes Deo, & Patri suo. Nos ergo Regis à Deo lecti constitutores, cū regno subscribimus, Legem quoque regni Regi damus, & ipsi sacerdotes, tanto melioris sacerdotii, quanto potior vmbbris veritas, quanto imaginibus res melior, quanto famelicis cibi præsentes, quam exhibendi cōmodiores. Legenda etiam Lex Regi præscribitur, vt ipse sibi, regniq; publicis negotiis, ex lectione eius, solus consulat, prouideat, occurrat necessitatibus, medetur angoribus, rupta sartiat, solida contineat, noxia dimoueat, profutura promoueat, nō autem semper ex alieno cōsilio pendeat, vt nō tam ipse Rex, quam consiliarii eius, Reges regis videantur. Neque otiosa est pars Legis, quæ in hoc Legem à Rege legi iubet, vt discat timere Dominum Deum suum, cum desit alius Regi timendus, libero nempe, & omnibus extra diuinos timorib<sup>9</sup>, absoluto. Sed nec vacat & alia Legis pars, quæ in hoc Legem Regibus legendā proponit, vt verborū & ceremoniarum Dei quæ in Lege præcepta sunt, custos sit: nam & hinc statuitur pro Lege certa, cunctis fidelibus constanter credendum & obseruandum, verborū Dei, item ceremoniarum Dei, custodiam summam esse & præcipuam regiæ

## E P I S T O L A

functionis operā. Et si quas de iis reb⁹, vel necessaria  
pietas, vel insolēs curiositas, excitauerit quæstiones,  
nō alio quā Regio arbitrio, coactis in hoc ex omniū  
suæ ditionis ordinū flore, probatissimis quibusq; fo-  
re cōponendas, & ad ipsius Legis regulā reformandas.  
Extra quam, ne quid de fuso, vel absolutæ potestatis  
improbanda superbiā, sibi blādiatur Princeps licere,  
eiusdē Legis retinaculis, & quodā veluti fræno, cohi-  
betur, decernētis custodienda verba quæ in Lege, nō  
extra Legē præcepta sunt, custodiēdas item cere-  
monias, quæ in Lege, nō extra Legē mandatæ sunt. Ad  
cuius præscriptū sic cōponere & formare mores suos  
debet Rex, ne declinet in partē dexterā, vel sinistrā.  
Hæc agentibus diuina largitas, quæ regnū præroga-  
uit, addit ad istius gratię cumulū Regibus, regni diu-  
turnitatē, & in filiis perennitatē. Rebellibus autē, &  
suū & regni sui excidiū, eadē, quæ nunquā mentitur  
Veritas, mox vindex, fistit & exhibet. Probant hoc  
Saüles, quibus liberisq; eorū, Regia potestas noxiis,  
diu nō constitit, sed in Dauidē translata est. Exhibet  
huius rei veritatem Salomon, primis regni tempo-  
ribus, donis sapientiæ cælitus collatis cumulatissi-  
mus, postea propter peccata detractis, insipientissi-  
mus, & certis Dei minis, in stultiore filio, decē regni  
partibus, non ita multū post, mulctandus. Et ne vn-  
decim tantūm familiis populi Israëlitici, Lex hæc  
Regia scripta videatur, ceruicosiq; sacerdotes, vino  
contentionis ebrii Leuiticam familiam, cui se solos  
prætexunt subrogatos esse, Legis istiusvinculis com-

prehensam & obligatam inficientur, admonendus est (siquis tamen hæc quoque siquis, captus amore leget) in libro Moseos (cui Deuteronomium titulus est) hanc Legem esse descriptam, qui titulus, ex peregrina Græcorum lingua nostrati Latinæ redditus, alterā vel secundam Legem signat, & Euangeliæ Legis quædam præfiguratio est, quæ omni creaturæ, ne dū sacerdotali ordini, scripta est, teste inrefragabili I E S V - C H R I S T O , qui dixit, Data m esse sibi potestatē in cælo & in terra, & delegauit Apostolos suos in vniuersum mundum, Euangelii sui omni creaturæ Doctores, nisi fortè pertinaces sacrificuli, aliū sui ordinis authorē fore, sine pudore mentiri velint, quod si velint, facile cedimus, nā alia manū impositione in ordinem suū adlectos, quā non norunt totā Apostolicæ & Euangelicæ literæ, credimus. Ut ergo umbra & veritas sibi respondeant, opportet Legem Deuteronomii quæ in imaginem veritatis Euangelicę adumbrata est, vinculis Legis Regię, Leuitas quoq; innexuisse, sicut Euangelica veritas suis quoque ministris & sacerdotibus scripta est, & sic agnoscere, non tantum populo christiano, qui ministerio per electionem nō est adligatus Euangelico, sed & omnibus in hoc ministerium coaptatis, propositam, scriptam, & sanctam esse, Regię dignitatis Legem. Quod facile est euincere ex illa Samuelis parte, vbi cōgregati vniuersi maiores natu Israël, venerunt ad ipsum in Ramatha, dixeruntq; ei, Constitue nobis Regem, ut iudicet nos, sicut vniuersæ

## E P I S T O L A

habent nationes , quorū etiam vocem , in omnibus  
quæ locuti fuerāt , audiri ab ipso Samuele voluit Do-  
minus , sic tamen ut eos contestaretur & prædiceret  
eis ius Regis , qui regnaturus erat super eos . Quum  
legis vniuersos maiores natu Israël collectos , nun-  
quid animo tuo coram sīstit , exhibet & repræsentat  
Spiritus sanctus omnē Iacob ( qui & Israël vocatur )  
posterioritatem , in duodecim familias distributam , in  
quibus Leuitica quoque tribus accensetur ? Omni-  
bus ergo Israëlitis , tum Dei decreto , Legem anterio-  
rem , vel potius prædictionem futuri regni repræsen-  
tantis , Samuelis ministerio , præfectus est Rex Saul ,  
qui eos iudicaret , illisque ius diceret , & eos Legibus  
suis regeret , etiamq; ( quod abnuūt sacerdotes ) con-  
tra Legis præscriptum facientes Legis Doctores , &  
greges eorum suo iure addecimaret . Nam & ibi in  
ipsa prædictione iuris Regii scriptum est . Greges  
quoque vestros addecimabit , & ( quod omnium  
ægerrimè ferunt ipsi sacerdotes , exemptionem &  
libertatem Regiæ potestatis prætexentes , impieque  
prater Apostolicas regulas , dominationem negan-  
tes ) subscriptum est , Vosque eritis ei serui . Rex ergo ,  
in Israële futuram quæ nunc præsens est , Ecclesiam  
imaginante , quid est ? nempe iudex omnium , Dux  
ad pugnas suorū , deniq; super omnes suos summus :  
cui filios suorum tollere , & ponere in curribus suis ,  
faceréque sibi equites , & præcursores quadrigarum ,  
suarum , & constituere sibi tribunos , & centuriones ,  
& aratores agrorum suorum , & messores segetum ,

& fabros armorum, & curruum suorum, eodem iure  
suo licet. Cui quoque potestas est filias suorum, sibi  
vnguétarias & focarias, & panificas statuere, agros,  
vineas & oliueta suorum, cum rei facti fuerint, in  
fiscum suū tollere, & seruis suis elargiri, suorū quoq;  
segetes & vinearum redditus, addecimandi ius illi est:  
& ad extremū singulis suorum viritim, vel vniuersis  
generatim, operas indicere. Hoc ergo est Rex in Ec-  
clesia: Ecclesia (inquam) id est, in plebe ex aqua  
& Spiritu sancto renata, sine negatione nominis  
**CHRISTI**, Templo & Domo Dei, Columna &  
Stabilimento veritatis, Virgine sancta, castissimis sen-  
sibus sponsa **CHRISTI**, ex ossibus eius & carne,  
nō habente maculam neque rugam, integra Euan-  
geliorum iura seruante. In Ecclesia (inquam) hoc  
quod prædictum est censetur, & est regalis sublimi-  
tas. Ecclesia nempe Regina in veste deaurata & cir-  
cumamicta varietatibus, fœcunda vitæ in lateribus  
domus Domini. Matre adulescentularum quarum  
non est numerus, vna speciosa Columba, electa ma-  
tris suæ atque perfecta, omnium inquam matre lai-  
corum & sacerdotum (quanquā nos ad laicum no-  
men horreamus natum Diaboli inuidia, ad vnius  
populi, vnius sinagogæ, vniuersique Ecclesiæ partitio-  
nem, totóque literarum sanctorū corpore, nusquam  
inueniendū, nisi vno tantū loco, ybi famelico David  
ad cibum necessarium languenti, nullos tum adesse  
panes laicos respōdit tabernaculi sacerdos) ædifica-  
ta, in fundamentis Prophetarum, & Apostolorum,

& ipso angulari lapide IESV-CHRISTO. Domus magna, vasorum omniū diuersitate locuplete. Cuius vitis si sacerdotes abnuunt esse palmites, in societate regalis culminis & Regis, quem summū habet palmitē, ipsius Ecclesiae sancta & sincera confessio: quid super est, nisi vt præcisi & amputati, in ignem mittātur, vt ardeant? In ipsa postremo Ecclesia concors Apostolicis sententiis vir doctissimus vnde cunq; Tertullianus, Reges & Imperatores adgnouit à Deo secundos. Post quem primi sunt ante omnes, in quibus iudicium quoque Dei suscipi professus est, qui Gentibus illos præfecit, in quibus sciuit & nos quoque scimus, esse quod Deus voluit, proni adorantes grande Regium & Imperatoriū nomen, quod à Deo traditur. Colendi ergo sunt in Ecclesia Imperatores & Reges quomodo licet, & ipsis expedit, vt homines à Deo secundi, & quicquid est à Deo consecuti, solo Deo minores. Hæc authorem Tertullianum præferentia, quamvis iniquis iudicibus vellicari queant, vel infirmiora censeri, propter consequentem hominis errorem, qui (vt ait Hilarius cōstantissimus Trinitatis in unitate, & unitatis in Trinitate confessor, idemque Gallorū omnium probatissimus scriptor) detraxit scriptis probabilibus auctoritatem, tamen habent præstructores Apostolos, & in his primores Petrum & Paulum. Hic enim Romanam ecclesiam & in Romana cunctas docens, omnē animā, id est, vnumquenq; potestatibus sublimioribus subditam esse constituit, non enim est (ait) potestas nisi à Deo

Quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, nā Princeps Dei minister est, baiulans gladiū vindicem in iram, ei qui malum agit, eiōque tributa præstantur tanquam ministro Dei, quæ nec ipse C H R I S T V s solui Cæsari vetuit, & exaētus, per Petrum sumimatē Apostolum, pro se, ipsōque Petro, & eius fidem quādōque secuturis, solui iussit. Ille verò Petrus, admonet quotquot in Ecclesia sunt, subiici debere Regi, quasi præcellentī, siue Ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam nocētium, laudem verò bonorum, quia sic est voluntas Dei. Nec negligenter prætergrediendum est, quod Paulus Principem gladii vindicis baiulum facit, vt ex gladio, summā potestatem, & qua nulla sublimior est, intelligamus, nam & leges Romanæ, gladii potestate, merum vel summū Imperiū circumloquuntur. Petrus autem, cum parendum Regibus tanquam præcellentibus iubet, in præcellentia summę potestatis apicem, quo nihil est altius, exprimit, & Utérque omnib⁹ indicit soluendorū tributorum necessitatē. Petrus quidem facto, detractum pisci staterē pro Christo, sc̄q; publicanis soluēs, Paulus autē verbo, vt hinc quoq; colligatur vacationē munerū, & immunitatē tributorū, quæ solenni pensitatione ab omnibus præstari debent, nulla Lege, imò Lege verāte, sacerdotibus, per supinos vel deceptos Principes olim præstitam, ad populi grauamen, quibus & sua, & immunium tributa pensitanda sunt, & onera ferenda, nam certum

est si bene fiscales nouimus artes, id captiosa largitate vacationis agi, vt onus quod sacerdotio decerpitur, oneri populari superindicatur. Qui ergo Dei electione, populi constitutione, vel hereditaria sorte, regalibus soliis Reges insident, venerunt ad summum, nec habent quo crescere, vel prouehi possint altius. Regnum ergo summus est in Ecclesia gradus, cui omnes subesse, ad quem omnes sine vullo sacerdotalis vel proceritatis vel popularis status discrimine, debent attendere. Hoc innuentibus Corona, quae in circulum acta caput Regium, cui superponitur, loco centri habet, ad quod, tanquam ad originem puncti omnes circunuoluti, id est, quaecumque regni membra referri, & ab hoc pendere debent. Item hoc praesignificante gladio, quod est supremi dominii Symbolum, quem C H R I S T V S iubens Petru vagina condere, Sacerdotibus detraxit, Regibus qui ante gesserant solis habendum reddidit, & in hoc summam Ecclesiae Regnique administrationem delegauit. Nouit hoc peculiaris nobis Rex & Imperator Ludouicus, à iungi pietatis studio, Pius dictus, apud Ansegisum Legum eius scriptorem ad Episcopos dicens, Quoniam complacuit diuinæ prouidentiæ nostram mediocritatem ad hoc constituere, vt sanctæ suæ Ecclesiæ, & regni huius, curam gereremus, ad hoc certare, & nos & filios ac socios nostros diebus vitæ nostræ optamus. Ut tria specialiter capitula, & à vobis, & à nobis, Deo opem ferēte, in huius regni administratione, conseruētur, id est, vt defensio, exaltatio & honor

nor sanctæ Dei Ecclesiæ, & seruorū illius congruus  
maneat, & pax & iustitia in omni generalitate po-  
puli nostri cōseruetur, paulo post sequitur. Sed quan-  
quā summa huius ministerii in nostra persona cōsi-  
stere videatur, tamen & diuina auctoritate, & huma-  
na ordinatione, ita per partes diuisum esse cognoscitur,  
vt vñusquisq; vestrum, (ad Episcopos sermo  
est,) in suo loco & ordine, partē nostri ministerii ha-  
bere cognoscatur. Vnde apparet quod ego omnium  
vestrum Admonitor esse debeo, & omnes vos nostri  
adiutores esse debetis. Nec enim ignoramus, quid  
vnicuique vestrum, pro sibi commissa portione con-  
ueniat, & ideo prætermittere non possumus, quin  
vnumquénque iuxta suum ordinem admoneamus.  
Summa igitur ministerii, per Deum Regibus crediti,  
functio est, Ecclesiæ, & regni cura: summus ergo Ec-  
clesiarum, & secundus post Deū præfectus, Rex est:  
cuius sollicitudinibus in parte leuandis, suo quisque  
loco succenturiantur, & adiutores applicantur, in  
curis ecclesiasticis sacerdotes, & popularibus nego-  
tiis, Regiæ cognitionis, vel inferioris nobilitatis op-  
timates. Hinc iam explorandum est quantus sit in Quantus  
Ecclesia Rex, quod commodissimè fieri potest, si pri- est, Rex  
mæ notæ actiones, quas in Ecclesiastica cura, regni in Eccl.  
nempe parte potissima, per Reges in rem Ecclesiæ  
explicitas, in vnum velut indicem collegerimus, &  
lectorem quasi in rem præsentem duxerimus. Dauid  
filii Dei & Saluatoris nostri exprimens imaginem,  
posteros Aaronis, nulla certa Lege, nullo certo ordi-

ne, sacerdotali ministerio fungentes, in classes, vices  
& sortes distribuit, adumbrans Christianæ Ecclesiæ,  
quæ portio regni Christiani, est, Regib' christianis,  
tantundem iuris esse, si quā contingat in ecclesiastica  
functione, de confusione turbam surgere, vñiquen-  
que suo ordini reddendo. Idem constituit hymnici-  
nes pangendis Deilaudibus, continua religione ser-  
uituros: Salomon eius filius, templum, cui nullū par,  
sequentibus temporibus conditum est, solennibus  
votis, frequentissimo totius Ecclesiæ Iudaicæ con-  
uentu, dedicat: Ezechias serpentē aëneum meden-  
dis serpentū ignitorū morsu, appetitis Iudæis, Mosis  
obsequio, cœlesti Imperio pessilli, forma subleuatū, cū  
diuini obsequii fraude, adhibitis adorationib' popu-  
lariter verteretur in Deum, diectū vrit, & hinc elo-  
gio pietatis honoratur, nec vlius calumniæ nota  
suggillatur, quod imaginem agendi in crucē CHRI-  
STI, sustulerit, & contumelioso nomine Nehustan  
vocauerit, nomen eius, id est, rem aëneam, seu vile  
quoddam aës & contemnendum, quasi admonens  
abutentes hoc idolo in contumeliam diuinitatis,  
nihil hoc aliud esse quam aës: Iosias conflari pecu-  
niam in templum Domini inlatam iubet, partiri que  
in fabros, ad instauranda sareata templi. Ipse pre-  
senti & quasi imminenti, diuinę irę metu percussus,  
inuentum Legis librum, sibi religiosus reus recense-  
ri iubet, quin & impendentem Dei vindictam, ne-  
glectæ Legis vtricem, prophetide Olda consulta,  
per Elchiam sacerdotem, piè importunus flagitator.

suspendit, & Regio culmini, sacerdotii rem & titu-  
los iungens, ascendit ad templū Domini, omnibus  
viris Iuda, vniuersisq; qui habitabant Ierusalem, sa-  
cerdotibus, Prophetis, & omni populo, à paruo vīsq;  
ad magnum, comitibus, legit cunctis audientibus,  
omnia verba libri fœderis, sublimis in concionato-  
rio gradu, & fœdus percutit coram Domino, vt cu-  
stodirēt præcepta eius, & testimonia, & ceremonias,  
aquietque populus pacto, & sic abolita imperiis  
eius per Elchiam Pontificem, & secundi ordinis sa-  
cerdotes, idololatria, verum Dei cultū restituit & di-  
uinitus in pœnitentiam genti directus, aufert abo-  
minationem impietatis, vnde memoria eius in com-  
positione odoris pigmentarii, omni ori, quasi mel  
indulcatur. Et vt desinam, & rem ad initium, cuius  
pars exciderat, reuocem, ipse etiam Dauid, verè ma-  
nu fortis, præludēs Ecclesiasticis exorcistis, melodia  
cithare, vltorem & flagellatorem Saülis dæmonem,  
indictis quibusdam feriis, sedat, & placat. In ipso  
Euangelii limine, primitias Gentium, magi Reges  
piis, iisdemque mysticis oblationibus, dedicat, dum  
census agit Augustus, dum turbatur Herodes, & o-  
mnis Ierosolyma cum illo, soli cum pastoribus obse-  
quioso cultu, Deum in puero agnatum, Episcopi ex  
Regibus adorantes, solisque muneribus loquaces  
Euangelium posthac literis mandandum, factis re-  
præsentant: confessi verum hominē, Mirra, quam  
mos est funeribus preciosis impēdere: Regem Auro,  
per quod singulis quinquenniis, coronarii sumptus

profligantur, & tempus regnum diuiditur: Thure  
Deum, quo sacræ Religionis maiestas, piis & odoris  
nubibus amplificatur. Audiunt Duces & Præsides  
Cæsarum, Paulum de quæstionibus Legis concio-  
nantem, & Cæsaris tribunal appellantē, cum Apo-  
stolis Apostolū dimitunt ad Cæsarem. Regiæ sunt  
ergo functionis, adiuratio dæmonum, distributio sa-  
cerdotalium ministeriorum, dedicatio templorum,  
collapsorum instauratio, deprauati cultus, ad Legis  
regulas reformatio, ipsæ conciones publicæ, audi-  
toribus etiam summis sacerdotibus, & Prophetis, &  
vniuerso populo. Ad hoc quoq; culmē pertinet, po-  
pulum per vota & pacta probatis religionibus addi-  
cere, simulachra tollere, etiam iubente Deo dicata,  
cum in contumeliā eius coli cœperint. Quasi quidā  
sequestres & mediatores sua suorumq; populorum  
vota, piis oblationibus Deo commendant, vero (nī  
fallor) & non affectato, fungentes sacerdotio, & vel  
ipsi vel eorum legati, etiam Legis quæstiones discu-  
tiunt, & hoc in summate Apostolo, cuius instantia  
quotidiana, fuit sollicitudo omnium ecclesiarum:  
& vt in summam omnia iungamus, non frustrà gla-  
dium portant in Ecclesia. Opinor enim quòd & Ro-  
manis scribens Paulus, Ecclesiæ scribebat, non vni-  
tantum, sed vniuersæ, recordatus verbi Dominici,  
quod vni dico omnibus dico: & dicens non frustrà  
gladium portat, Dei enim minister est, iubet siue est  
sacerdos aliquis, siue antistes, siue monasticā vitam  
professus, iis cedi debere, quibus sunt magistratus.

mandati. Parabolæ etiam laudatæ fraudationis in  
villico, & vocatorum ad dispungendas rationes ser-  
uorum, num inumbrant piorum Regum efficaciam  
& sedulitatem, qua fide administrentur res ecclesia-  
sticæ suo iure discutientiū? Sic cum notissima sint ex  
his, & multò pluribus, quæ nunc nō occurunt, insi-  
gnioribus exemplis, Regiæ potestatis, in Ecclesiis  
officia, nonne ambigere pudor est, an conuentibus  
ecclesiasticis, ad ordines deprauatis moribus infa-  
mes, instaurandos coactis ipsi Reges & adesse &  
præesse debeant? Sed quia moribus antiquis res stat  
Romana, & vi quadam fidem vrgent & extorquent  
prompta ex probatis authoribus exempla, iam hinc:

*Avia Pieridum peragro loca, nullius ante*

*Ttita solo, iuuat integros accedere saltus,*

*Insignemq; pijs, morum petere inde coronam.*

Et domestica exvernaculis nobis cōciliis, id est, Gal-  
licis, Germanicis, Francicis, deinde Hispanicis &  
antiquioribus Græcis & Africanis exempla feligere,  
quibus ostendi possit Reges factis de religione Sy-  
nodis, interfuisse & præfuisse, si non ipsos at certè  
eorum legatos, præsentibus etiam Romanorū Pon-  
tificum legatis: atque iam hinc ordimur. Celebre  
dictum est, & omnibus Romanæ legis, solidam co-  
gnitionem habentibus, in ore frequentissimum, ea  
nos nostra facere, quibus auctoritatem damus, nec  
minùs notum est, eos qui mandatā iurisdictionem  
suscipiunt, proprium nihil habere, sed eius qui man-  
dauit, iurisdictione vti. Et quanquam Prætor sit is,

qui alienam iurisdictionem exequitur, non tamen,  
pro suo Imperio agere: sed eius, cuius mandato ius  
dicit, partibus fungi, præterea vices agentium mos  
est, sic iudicium voluntatibus obedire, ut suas nō ha-  
beant dignitates, splendeat mutuato lumine, nitan-  
tur viribus alienis, & quedam imago in illis videatur  
esse veritatis, qui proprii non habent iura fulgoris.  
Nam & Vicaria dignitas, ipso eius nomine, potesta-  
tis alienæ, se trahere indicat portionem: & iudica-  
tionis Regiæ solet & debet representare reueren-  
tiā. Toto hoc ergo tractatu, quo nitimur, ipsos Re-  
ges, per se, Conciliis interfuisse & præfuisse, ob ocu-  
los, ex actis eorū, cunctis ponere, ita nos à beneuo-  
lis lectoribus exaudiri precamur: ut ipsi quoq; Re-  
ges, vel adfuisse vel præfuisse, Synodis intelligentur,  
cum per legatos interfuerunt & præfuerunt, vel co-  
gendarū, Episcopis admonitores, & authores fuerūt.  
Clodoueus, qui & Ludouic<sup>o</sup> Romanis, & nostratib<sup>o</sup>  
Francis, & Gothis, dictus est Lodois, & Cassiodoro  
Ludis, venerāda Christianorum fide, Francorū pri-  
mus muniuit Imperium: & ab ipso sacro fonte, pe-  
ne adhuc recens: & Albis cælestibus candēs, omnes  
ditionis suæ, quotquot erant, probatos Episcopos,  
siue ii Metropolitę, siue Suffragratores, & secūdē no-  
tæ, sacerdotes forent: Regiis epistolis Aureliam ac-  
cessiuit: in vnumquæ vocatis, & coactis cōuentum,  
titulos ipse præscripsit: quib<sup>o</sup>, definitiones suas sub-  
scriberent, nō de prophanis negotiis, sed de religio-  
nis catholicæ, & gloriose fidei cultu: his enim stir-

mulis, Regios iussus expressos; ipsi suis epistolis te-  
stantur Episcopi. Qui etiam Regiae potestatis am-  
pliore testimonio, quæ statuerunt ab ipso Rege com-  
probari, & tanti Regis consensu, ac domini maioris  
auctoritate seruanda, sententiaæ suæ accessione, de-  
precati sunt. In Episcopis iussu Regio conuenienti-  
bus, nō inuitam, vel extortam obedientiam, sed cæ-  
litus mandatam, ad testimonium Regiae sublimita-  
tis collige. Hinc enim scriptum est, Subiecti estote  
Regi, quasi præcellentí, siue Ducibus, tanquam ab  
eo missis, quia sic est voluntas Dei: in Rege autē iu-  
bente, sinister interpres, iuris alieni quoddā furtum,  
ne suspiceris: sed iustum Regii iuris executionem,  
ipsis inuocatis Episcopis testibus, pronus adora, qui  
rescribentes eidem Clodoueo, veri & obsequiosi E-  
piscopi, profitentur se in vnum colligi iussos, à Rege  
religionis catholicæ cultu, & gloriose fidei cura, ex-  
citato, quin & in eo, sacerdotalis mentis affectū veri  
interpretes agnoscunt, his prope testi moniis ex Re-  
ge sacerdotem facientes. Sed & si dignabere, ad isto-  
rum quæ scribimus recognitionem, aliquando va-  
cans, Synodi ipsius Aureliensis primæ, commenta-  
rios euoluere: vel nondum cognitū disces, vel agni-  
tum, memorie tenacius figes, in ipsa Regiae epistolæ  
subscriptione, ipsis etiam Episcopis Papæ nomē ad-  
scribi, omnibus tum sacerdotibus commune, sed se-  
culi sequentis infelicitate, ne dicam, secordia, dum  
finuntur omnia ambitioni licere, ita vni Episcopo  
peculiare factum, ut si quis id, vel nudis cogitationi-

bus adtrectet: mox, nocentissimus sacræ maiestatis  
reus, sacris omnibus excidat. Sed & habet illa episto-  
la, aliquid augustius, & tanti Regis animosissima  
& constantissima fide dignius, nempe, quod omnes  
a se vocatos Episcopos, ipse profitetur apostolica se-  
de dignissimos: ut hinc velle visus sit edicere, (&  
certe verè edixerit,) non illos tantum Episcopales  
thronos esse & vocari Apostolicos, qui fide, religio-  
ne, doctrina, sint Apostolorū constituti, nempe Ro-  
manum, Ierosolimitanum, Anthiochenum, Thessa-  
lonicensem, Philippensem, Colocensem, Ephesū,  
Galatā, sed & alios, qui a Vicariis & Apostolorū di-  
scipulis doctoribus, ad agnitionē veritatis venerunt,  
esse quoq; tam sancti nominis participes. Rem enim  
( ut veritas exigit ) exactè perpendentibus, quid aliud  
est Ecclesia, in numerosas sortes, ad ministerii facili-  
tatem disperita, quam vnum Domini nostri I E S U  
C H R I S T I, & eius amicorum Apostolorum thala-  
mus? que proinde, & esse & dici merito debet tota &  
in singulis partibus, christiana & apostolica Eccle-  
sia, siue Sedes: ut & hinc quoquè certissima defini-  
tione statuatur, eos esse fures, & prophani altaris se-  
ditiosos excitatores, qui sedis Apostolicæ parricida-  
les prædones, rem & actum sacri nominis, sibi solis,  
per sacrilegium insolens, eripere volentes, aliis eius-  
dem functionis participibus abducunt. Hactenus de  
epistolis Regia & Episcopali eiusdem Synodi nobis  
scriptum sit, statim ad aliam nominis eiusdem pro-  
gressuris: hoc tamē, ne excidat, quia huius seculi re-  
prim

primendæ superbiæ, nonitore Spiritu sancto, scriptum est, ante adnotato, esse, scilicet vetitum sexto illius concilii capite, ut nullus secularium, ad clericatus officium præsumat accedere: nisi cum Regis iussione, aut cum Iudicis voluntate. Solent vel natis iam morbis ad curationē, vel nascituris ad auersiōnem, parari remedia, ex regulis & institutionibus medicorum. Spiritus ergo sanctus summè solers animalium medicus, in sanctis illis Episcopis, iam tunc videns aliquos, numero satis magno, & seculo posteriore, grassante licentia, exorituros longe numerosiore, qui ad excutiēdas, quæ iure diuino & Regio, solent popularibus indici functionum necessitates, ociosę quodam libertatis morbo contaminati, clericū fieri vellent, & in hoc liberum & immune clericorum consortium, clam subrepere: ad fraudem tributorum & vectigalium: vetuit, ne ad hoc officii genus liceret accedere, nisi vel Regis iussione, vel Iudicis voluntate, quæ sua essent (si vellent) liberaliter remisurorum. Seruatam par est credere longo tempore constitutionē, magno Regis, maiore Regni, maximo Ecclesiæ fructu, & cōmodo, Regis, cum illi per hanc immoderatam inimunitatem sua non minuerentur Tributa, Vectigalia, & Operæ Exercitales, Regni, cum hæc leuius expedirentur imperata, toto corpore munera subeunte, nullis per immunitatis largitatē subductis. Ecclesiæ, ne tantus adaugeretur, & ad cresceret clericorum numerus, vt iam populo maior, sua numerositate laboraret & vilesceret,

## E P I S T O L A

& fieret ad executionē maledicti prophetici, sacerdos sicut populus, & ociiis clericatus beatæ immunitatis, dilatatus, impinguatus, incrassatus, recalcitra-  
ret: quod nos in quos fines seculorum deuenerunt  
non inuidentes ordini, sed indolentes eius deprava-  
tioni, maximo Ecclesiæ, Regis, Regniq; detimento  
vidimus, & prolixius, visuri sumus, si non excitetur  
Christianissimus Rex, ad authorem sui generis Clo-  
doueum, & hauriens ex eiusdem sancti Spiritus fon-  
tibus, Christianā audaciam, redundanti clero, me-  
tas ponat, tam necessaria constitutione renouata, sta-  
tuens, vt qui iam facti sunt clerici, sic perstent, noui  
autem recentesq; nulli clericetur, nisi sua iussione, &  
iudicium suorū voluntate, testimonio Episcoporum  
antè probati, & tantundem de suis facultatibus, fisco  
addicentes, & subsignantes, quantum tota vita pen-  
sitare poterant. Et hoc Honorii & Maioriani augu-  
storum Romanorum exemplo, qui talibus, clerica-  
lem redundantiam frenis luxuriantē cohercuerunt.  
Et quia multorum seculorum mos est, serias res an-  
nullis ad posteritatē obsignatas mittere, annullum  
nobis huic applicaturis parti, succurrit Ecclesia iam  
tum morbo secularis superbie laborante, Episcopos  
suas epistolas solitos annullis subsignare, vt hinc cla-  
reat solennes & quodammodo sacros ad honoris  
fulgorem, Episcopalibus digitis impositos, non esse  
solius spiritualis cum Ecclesia sua coniugii indices,  
sed & ad testimoniu rerum datos. Collige & tu quis-  
quis Tholosas es, metropoliticum nomen, nobilissi-

mæ Tholosæ esse multò antiquius Ioannis secundi Papæ temporibus : qui non tantæ ciuitati, dedit, sed reddidit, nominis eius Insigne, annosiore temporis situ obsoletum. Nam & actis illius concilii subscribit, Leontius Tholosanus metropolita. Secunda Synodus Aurelianensis, in ipso actorum limine, profitetur ex præceptione gloriosissimorum Regum, de obseruatione Legis se tractaturā, conuenisse. ut hinc fides constet, solenne tum fuisse, morisque receptissimi, conuentus de obseruatione Legis Catholicæ disceptaturos, nunquam nisi Regio iussu conuocatos. Ne autem de tacitis Regū nominibus ignorantiae nubes offundatur, constat ex eiusdē Synodi subscriptionibus, eam conuenisse, nono calend. Iulias, anno vigesimo secundo Domini Childeberti Regis, qui fuit unus ex præcedentis Clodouæi filiis, cui & in partem regni suffectus est, diuisione totius Regni in Tetrarchias facta, vel nondum nata, vel certè neglecta Lege quæ vel est, vel fингitur, Salica, de solidō Primogeniti in regno primatu, nullis in partem regni confortibus admissis. Anno quoque regni eiusdem Childeberti Regis vigesimo sexto, conuenit & aliud Aureliam Synodale concilium, ordine & numero tertium, cuius conuentus Patres, duodecima sua definitione, agnouerunt Regium de rebus Ecclesiasticis, esse quoque iudicium. Et præterea Legibus Regiis, quas de rerum præscriptionibus dictauerant anterioris temporis Principes, suū locū in omnibus Eccl. negociis illa ætate fuisse. Idē quoq; Episcopi,

## E P I S T O L A

cum Iudeis, à die cœnæ Domini, usque in secundam sabbati, in Pascha, hoc est, ipso toto quatriduo, procedere inter Christianos, neq; Catholicis populis se vlo loco, vel quacunque occasione, miscere præsumant: sancta interminatione vetant. Item, cum iudices ciuitatum vel locorum, si Hæreticū, aut Bonofiacum, vel cuiuslibet alterius hæresis sacerdotem, quancunque personam de Catholicis rebaptisasse cognouerint, quia (inquiunt) Reges nos constat habere Catholicos: nō statim adstrinxerint, & ad Regis fidem propterea distringēdos adduxerint, annū excommunicant, & abstinent, prope fidem est, ætate eorundem Clodouæ filiorum Regum Synodus quoque hanc, iussu eorum conuenisse. Ex qua quoque hoc memorandū colligitur, Reges, scilicet, iure suo, tanquam in hoc Dei ministros, esse hæreseon & hæreticorum cognitionales iudices, & iustos disceptatores, quibus ad istius iurisdictionis facilitatē iudices ciuitatum & locorum subseruiunt. Quinti quoq; Aurelianensis concilii, titularia inscriptio præfert eius Synodi patres hic conuenisse, mandatis & præceptis eiusdem Childeberti Regis, clemētissimi. (Hæc est Episcopalis adclamatio:) Principis, triumphorum titulis inuictissimi, sacræ fidei amatoris, & Christianæ religionis studiosi. Ne autem ambitiosus aliquis, principatus in Ecclesia Regii soliditatē, quid aut adroderet, aut decerperet, in arctū quoddam cuiusdam partis, vniuersalē cogēs, manus scribæ velociter scribētis, id est, Spiritus sancti, iam inde

sacrilegum præteruertes interpretem, posterioribus  
olim seculis dicturum, Regibus præter cōgregatio-  
nem, nihil in Ecclesiasticis licere cōuentibus, in ipso  
actorum eiusdem concilii limine, cælestem præscri-  
psit sententiam. Ad diuinam (inquit) gratiam refe-  
rendum est, cum vota Principum, concordant ani-  
mis sacerdotum. Audis Regum vota præscribi, sa-  
cerdotalem concordiā subscribi: ut Regis solo Deo  
minoris, pronus in sacerdotii quocunque ad pietä-  
tem consensu & confessu, venereris apicem, & tantę  
rei Deum (qui habitare facit vnius moris in Ecclesię  
domo) profitearis artificem. Sed & episcopali cala-  
mo, præsule sancto Spiritu, ad normam posteriorum,  
pro disciplina ordinis ecclesiastici, dictatas ibidem  
sentētias, Leges noueris esse Regias. Et cum decima  
illius sacræ Synodi constitutione, sacerdotii vñali-  
tatem præmiis, veluti pecuniis comparatam, exau-  
thoratione plecti, iussumq; ei, cui consensu cleri ac  
plebis ad Episcopatum lecto, Regia subscrifserit vo-  
luntas, episcopalis manūs imponi dignitatis, legeris,  
ambigere desinas, an Episcopalibus Synodis, atque  
ipsis adeo Episcopis, (quibus in agmen sacrum con-  
uenientibus, Synodi fiūt) sublimiores, id est, Regiæ  
anteferendæ sint potestates, quas earum corūmque  
tam ex Imperio commeatuque conueniendi, quam  
ex lecti Episcopi probatione, certissimas agnoueris  
authores. In hoc quoque conuentu (quod citra cri-  
men omitti non potest) videmus Regis Childeber-  
ti & Vlrothæ serenissimæ eius coniugis ad Xeno-

## EPISTOLA

dochii perennitatem, constitutioni subscribentes  
Episcopos, & quia iam morbus ambitionis, depraua-  
tos Episcopos in ardorem cuncta sibi rapiendi con-  
citauerat, Legem meliores Episcopi (qui tum conve-  
nerant) de facto Principis, ad cuius exemplum, totus  
orbis subditus componendus est, Metas ambitioni  
determinates, fixerunt, ne futurus Lugduñ. Episc. vbi  
ad exceptionem peregrinorum, tam pius excitaba-  
tur locus, ex episcopalibus titulis, ipsum locum resq;  
ad eius instructum, Regia liberalitate, delegatas, sibi  
addiceret, & Regiae potestati & posteritati detrahe-  
ret. Per mansura, inquiunt, autoritate decernimus,  
regalis institutionis ordinē, de condito Lugd. Xeno-  
dochio, Dño inspirate, manū nostrarū subscriptio-  
ne firmantes, ut quod præfato Xenodochio aut per  
Regum oblationem, aut per quoruncunq; fidelium  
eleemosinam, collatum aut conferendum est in qui-  
buscunque rebus atque corporibus, nihil exinde ad  
se, quolibet tempore Antistes Ecclesiæ Lugdunensis  
reuocet, aut ad ius Ecclesiæ transferat: ut succeden-  
tes sibi per temporum ordinem Sacerdotes, non so-  
lum de facultate Xenodochii ipsius, aut de consue-  
tudine vel institutione nihil minuant, sed dent opé-  
ram, qualiter res & ipsius stabilitas in nullā partem  
detrimentum aut diminutionem aliquam patiatur:  
prouidentes ut Præpositi semper strenui ac Deum ti-  
mentes decadentibus substituantur, & cura ægrotan-  
tium, numerus & exceptio peregrinorum, secun-  
dum indictam Legibus Regiis institutionem, inuio-

labili atq; iugi semper stabilitate permaneat. Si quis autem quolibet tempore, constitutionem sacrilegus & improbus presumptor nostrā obuius eludere tentauerit, aliquidque de cōsuetudine vel facultate Xenodochii fraudauerit, vt Xenodochiū (quod Deus auertat) esse desinat, vt necator pauperum, interminabili anathemate feriatur. Cum ergo latae, in convenientibus ecclesiasticis, iussu Regio conuenientibus Leges, Regias esse constituerimus, tantò sanctiores quantò maius est habere subscriptores Episcopos, quam populares suffragatores, nonne palam est, etiam Regibus licere, in re pietati, & proinde Ecclesiae maxime peculiari, ne dum propria, idest, Xenodochiis Legem figere, cui ne suus quidem Episcopus audeat obuiare, & hinc aliquid, in alios titulos transcribere, vel pietate forsan æquales, vel maiores? Et iure certè occursum est Diocesanæ licentiæ, Ecclesia tum sanctiore & integriore, ne perficū melioris operis, res in sumptus peregrinorum, sanctione perpetua, destinatæ, nō iam Xenodochii essent, sed Episcopi, tituli alterius mendacio, rem suā curantis, & in alieno testamento sibi quid adscribentis. Puto quod Ecclesia Lugdunensis Bernardi castigatissimi, eruditissimi, & sanctissimi monachi, nobilis elogio, quod Apostolicarum traditionum semper tenacissima, & nullis vñquam sibi dispar inconstantiae motibus, Ecclesia (inquam) plena iudicii, diu summa religione, sanctissimam seruauerit constitutionem. Sed quia naturali quodam morbo, re-

## EPISTOLA

bus bene cōstitutis, per diuturnitatem, vel posterio-  
ris seculi depravationem, natius ordo deciditur,  
& alienus inducitur, exigit à me, quā Regio culmi-  
ni debeo, fides, vt Regē meū, cui à Deo creditus sum,  
& à quo totus pendo, ne, quod dici solet, regalibus  
suis aliquid ipse per Auctorū suorum supinitatem  
detrahi sinat, & antistitem Lugdunensem, admo-  
neam, ne laqueis anatemathis horrendi circum-  
plexus, de Xenodochia, id est, re peregrinaria, suam  
(quod intolerabile est, vsitatissimum tamen) faciat,  
aut, quod est improbius, dum vel sua non curant,  
vel nesciunt Reges, vel in mulionum mercedes, vel  
deterioris notæ ministeriorum, deuoluat. Certus  
Principem non ægrè laturum, serui recta monentis  
officiū, & antistitem Lugdunensem, supra natalium  
splendorē, religionis & pietatis dotibus cultissimū,  
non dedignaturum præfessoris sui, nomine & verita-  
te Sacerdotis, qui tantæ Synodo, & tam piæ consti-  
tutioni, & præsens adfuit, & subscripsit, auctoritatē.  
Et præterea spes est, qui mos est verè (qualis est) illu-  
strib⁹, ampliora (si exegerit occasio) præstiturū, nem-  
pe, vt eiusdem Sacerdotis solium dignus hæres insi-  
deat, & mentem exhibeat, curaturum ex tanti Re-  
gis, & tantorum Episcoporum Lege, ne Lugdunen-  
sis Archidiaconus suo desit officio, quinimmo sedu-  
lus operam det Laurentium quendam nostro seculo  
restituens, insignem sacris martyrii & fidelissimæ di-  
spensationis titulis, ecclesiæ Romanæ Archidiaco-  
num, singulis diebus Dominicis, vt necessitas vin-  
ctorum

ctorum (secundum præceptum diuinum) misericorditer subleuetur, pro quibuscunque tandem illi culpis, carceribus inclusi fuerint, competens vietus de domo Ecclesiæ tribuatur, & certè par est, tantam Ecclesiā (de Lugdunensi sermo est) antiquissimo Primatus honore, totis probatis libris testatissimo, in hanc rem Lugdunēsis primæ, secundæ, tertiæ, id est, sibi Lugduno, Rhotomago Turonibus & Senoniæ Lugdunensi Ducem fore, ut deinde in totas Gallias restitutionem, tam pii tamq; necessarii operis, inferni prædonis iniquitate, vel fraudatam, vel obliteratedam, vel ereptam, fœlici propagatione exporrigat, & sarciat. Migraturis ergo tandem nobis Aurelia, & in aliis quoque Synodis nostratum ciuitatum, Regia iura scrutaturis, tantum superest, mitem & sincerum Lectorē admonere, quanquam totis iis Aureliorum Synodis, ipsi per se Reges non interfuerint, tantum tamen præstisſe, vel epistolis, vel Imperio collectionis. Si enim ex Euangelicis literis, qui cū Deo colligunt, ad authorem Deum collecta grati & officiosi collectores referre debent, à quo bonoruū operū natales, progressus, atq; termini sunt & manat, quomodo authorem Synodoruū inficiari possumus Regem, quibus ipse & Dux & author, colligēdis fuerit? Bis tantum Parisios à nostratis Episcopis conuentum est, nam totidem Parisinæ tantum Synodi typis impressæ circunferuntur. Ex quibus posterior tantu nobis usui futura est, seposita & interim dilata in aliam necessariam operam priore. In hanc ergo po-

steriorem conuenientes aliquot, cum suffragatoribus  
suis Episcopis, Metropolitæ, Sabaudus Arelatensis,  
Constitutus Senonensis, Isichius Viennensis, Nice-  
nius Treuerensis inuitante, & proinde authorante  
eodem Childeberto Rege, Saphoracū Episcopū Pa-  
risinū, per peccandi coecitatem in præcipitia reatus  
lapsum, ne cœcus cœcorum dux persisteret, gradu  
Episcopali dimouerunt, & claustris monasterialibus  
iam addictum probauerunt, & diuina Regiaq; au-  
thoritate: in locum vacantem, sufficiendi alterius  
Episcopi, Metropolitæ Senonensi, ad quem ordi-  
natio pertinebat, potestatem fecerunt. Quale est, &  
quanto dignū miraculo, Regię ciuitatis Episcopum,  
quadā Regis manu, in Episcopis huc eius iussu con-  
uenientibus præsidentis, Episcopū solio deturbari,  
& ad hoc culmen, viam alii præstrui? Nonne &  
hīc sublimiorem potestatem, id est, Regiam, diuino  
iure, sua videmus exequentem? Ariberto glorioſi-  
fimo Francorum Rege, Turonibus collecti Metro-  
politæ, Prætextatus Rothomagēsis, & Fœlix Bituri-  
ensis, cum aliquot ex suffraganeis Episcopis, Con-  
niuente eodem Rege, se in vnum conuenisse proſi-  
tentur, subiudicantes in Cōniuentia, per quā vtraq;  
fursum deorsumq; Cilia pene iungūtur, corporis Ec-  
clesiastici concordiā, in quo, velut in humano corpo-  
re, nōne monstrū esset, si caput (Regia sublimitas) in  
pedes demitteretur, & pedes in culmē capitū, insano  
delirio, vnde spectatū admissi risum continere non  
possent amici, subrigeretur? Hinc quoque ergo ne-

cessaria statuendi occasio est, Regem quoque in Turonico conuentu, Episcopis fuisse conueniendi & definiendi authorem, nisi in contumeliam diuinæ constitutionis, erectam capiti dignitatem, pedibus imprimere, & suprema, detimento totius ordinis, ima facere velimus, reclamâte eadem Turonica secunda Synodo. Guntrannus Francicæ ditionis partarius Rex, ex solidi regni diuisione, inter se & confortes Regiæ potestatis fratres facta, pietatis & religionis studiosissimus, duos (dū in humanis age-ret) conuentus Episcopales, Matisconem (Regni sui nobilem ciuitatem) coegit. Priori ipse per authoritatem Congregationis interfuit, socius Metropolitarū Episcoporum Prisci Lugdunensis, Artemii Senonesis, Euantii Viennensis, Remigii Bituricensis, Sylvestri Bizuntinensis, & aliquot eorum (qui ipsis suffragabantur) Episcoporum. Ipsi autē bene consciī Regiæ in Ecclesia potestatis, & quantum debetur eius gladio, cuius nō est (sacrarum literarum testimonio) frustraneus & ociosus baiulus, septimo definitionū suarum capite, conspirantibus in vnam cōcordiam sententiis, iam inde, seculi posterioris contrariam & plenam temeritatis licentiam subodorantes, edixerunt secularem Iudicem esse reis clericis, homicidiorum, furorum, aut maleficiorum, proprium, germanum, verum, suum, & legitimum disceptatorem. In Homicidio, omnium hominum cedem, quomodo cunque, quibuscunq; artibus, dolis, ingeniis, in parentibus, filiis, liberis, seruis, ministerio diuino dica-

tis, popularibus, clam, vel palam, factā complecten-  
tes: in Furto, sacrilegia, prædas, rapinas, & famoso-  
rum huiusmodi peccatorum nomina cōcludentes:  
in Maleficio venenorū scelera, carmina ad pel-  
liciendas alienas segetes, & animalium excidiū, de-  
signantes: quæ Legem bene docti, diuinitus id san-  
cientem, vindice gladio coercenda nouerant. Sed &  
ipsi Regiæ dignitatis veri & officiosi professores dum  
Childeberti Regis Leges, aliquot diebus Iudæis pu-  
blico interdicentes, & sacerdotibus suum honorem,  
ab alterius professionis hominibus equis desiliēdo,  
capite detegendo, via cedendo præscribentes, agno-  
scunt: quid aliud quam hæc iuris Regii, non vnde  
vnde, sed cælitus, esse confessi sunt? Posteriore Sy-  
nodo Matisconensi Metropolitis eodem Prisco Lu-  
gdunēsi, Bertechrāno Burdegalensi, Emerito Ebre-  
dunēsi, Prætextato Rhotomagensi, Siluestro Bizon-  
tinensi, Sulpitio Bituricensi, & aliquot ex eorū pro-  
uincialibus coepiscopis & Missis absentium Episco-  
porum, subsignantibus, & id Regii principatus esse  
vltro (ut par erat) professis, idem Guntrannus Rex  
partis Francorum publico edicto Potestatem Epi-  
scopalem vocat paternā, vt in Ecclesiæ suæ filiis, ve-  
luti quidam patres carnales in domo sua liberis, ci-  
tra fasces, gladii minas & efficaciam, vim potius ex-  
erceant verborum, quam verberum, minores Regia  
potestate, cuius est (exigentib⁹ culpis) nō verba tan-  
tum, sed & adhibere verbera, nō tantum terrere, sed  
gente, domo, patria, facultatibus, noxios absterrere,

addens idem Rex, si obstinati peccatores, Episcopos  
monitores neglexerint insolentes, iuxta quod con-  
ditio causarum, aut excessus exegerit personarum,  
alios seueritate canonica corrigendos, alios vincu-  
lorum pœna percellendos, vt æquitatis in omnibus  
omnium ordinū hominibus, vigore seruato, distrin-  
gat legalis vltio Iudicum, quos non corrigit canoni-  
ca prædicatio Sacerdotum. Quinetiam sanctitatem cleri-  
corum transgressiones quanto illis pro diuino amo-  
re reuerentia maior impenditur, tanto acriore vin-  
dicatione plectendas, præterea (quod est diuinæ pro-  
pe potestati par) decernit idem Princeps agente &  
impellente (vt dignum est credere) Spiritu sancto, vt  
in omnibus diebus dominicis, in quibus sanctæ Re-  
surrectionis mysterium veneramur, vel in quibus-  
cunque reliquis solennitatibus, quando ex more ad  
veneranda templorum oracula, vniuersæ plebis con-  
iunctio, deuotionis congregatur studio, præter ali-  
mentarias causas, omnes ab omni omnino corpora-  
li opere suspendi, nec ullum litibus & iurgiis locum  
fore, subiungens omnium Episcoporum consensu,  
sue solitudinis fore, socio Metropolita Lugdunen-  
si, conuentibus Synodis locum definire magno &  
insigni Regiae in Synodalibus conuentibus potesta-  
tis testimonio, terminumq; Edicto tales impones.  
Cuncta ergo (inquit) quæ huius Edicti tenore de-  
creuimus, perpetualiter volumus custodiri, quia in  
sancta Synodo Matisconensi, hæc omnia, sicut no-  
stis, (ad Episcopos sermo est) studuimus definire,

præsenti autoritate vulgamus. Rex ergo Legibus  
suis, diem alio die religiosiore facit, Sua & Iudicium  
suorum potestate, passim omnes omnis ordinis ho-  
mines, sibi à Deo creditos, Sacerdotes, Nobiles, Vul-  
gares, deuios ad officiorum viam retrahit, reos obsti-  
natos, amplius percellit, clericos homicidii, furti, ma-  
leficiorumque reos discutit, & plectit, & conuenti-  
bus tandem Synodicis, locum disponit & præfinit,  
nobili in Ecclesia (ultra quam vix illa est Augustior)  
potestate. Proximum Matisconibus nos inuitat op-  
pidum Cabilo, & ipsum magno Episcoporum con-  
uentu, ætate eiusdem Clodouei nobile, vt & in sen-  
tentiis eiusdem, Regem ipsum, quis & quatus in Ec-  
clesia sit, exploremus. Limen ipsum tanti confessus  
pulsantibus, obuia fit prima sententia Ganderici Lu-  
gdunensis, Armentarii Senonensis, Donati Bizun-  
tinensis, Vlfolendi Bituricensis Metropolitarum, &  
subscribentium sibi aliquot Episcoporū, agnoscen-  
tium Ordinatorē & Euocatorem Clodoueum Re-  
gem, Zelo religionis, & orthodoxæ fidei prouocatū:  
cuius & in Epistola totius cōuentus, ad Theodorum  
(forte Arelatensem Episcopum) qui vocatus, con-  
sulto per cōtumaciam defuerat, profitentur omnes  
Episcopi se præceptis Cabilonem conuenisse, vt ex  
his colligatur, fuisse tum communem sensum, nul-  
las fuisse Synodales legitimas congregations, si de-  
esseret vel Euocatio, vel Regia Præceptio. Quin & hic  
non negligenter prætergrediendum est, quod super  
admissum iam olim in Ecclesia pœnitentiæ fructum,

recenti decreto, & nunquam antea Gallis Episcopis tentato, noua introducitur agnoscendorum, euulgandorum, confitendorumque peccatorum forma, Ecclesiis ante Gallicis, vel omnino nulla, vel rarissima, vel (quod proclivius credere est) incognita, per quam reus singula peccata, vltro, quasi indicem ex tabula legens, intimis contaminatæ conscientiæ recessibus & latebris, per linguam & verbum evoluat, pandat, exponat palam, & quasi numeret sacerdoti, qui velut indicator & præmonstrator, quo quæque peccata pœnitentiæ modo, qua formula pleuantur & eluantur præsignificet, indicet & præmonstret, vt hinc (quisquis es industrius & strenuus Lector) agnoscas Confessionem huiusmodi, temporibus Apostolicis esse nuperiorem, quod & ex alia Synodo Cabilonensi (cum hic ventum fuerit) adnotabitur exactius, hoc tamen prædicto, Confessionem (vt videtur) auriculariam tum vniuersos sacerdotes, (qui Synodo intererant) nullo exemplo, neque satis expensa, recepisse, Theodeberto quoque Regi glorioſiſſimo piifſimoq; eiusdē Clodouei per Theodoricum filium nepote, Aruernum cōuenit alia Syndodus, quæ in ipſa auctorū ſuorū fronte, authorem & mandatorem ſuæ congregationis Regem profitetur, in tradita per manus fide & religione perſtans, admittente, literis diuinis impellentibus, Regiam ſublimitatem, vel per Congregationis facultatem, vel Euocationem, vel Præceptionem, vel per Se, vel per Legatos, Epistolās, Synodis, & ad eſſe poſ-

se, vel debere. Carlomanus vno prope atque altero  
seculo, quos recensuimus, Principibus, recentior,  
languente iam Regum Francorum fide, & fortitu-  
dine, solo Regis titulo, eius æui Rege minor, cate-  
ra Rex, non tamen vniuersalis, sed eius Regni Fran-  
cici portionis, quæ Austrasia veteribus Francorum  
Annalibus, id est, Orientalis Francia dicitur, frater  
Pipini, filius Caroli, vulgo, Martelli, anno ab incar-  
natione Christi, septingentesimo quadragesimo se-  
cundo, vndeclimo Calend. Martias, adhibitis in con-  
siliū seruis Dei, & optimatibus Regni sui, Synodum  
congregauit ex Episcopis Bonifacio, Burcardo, Re-  
ginfrido, Guntario, Vuitealdo, Dadano, & Edano,  
consiliū daturis, quomodo Lex Dei, & Ecclesiastica  
religio, quæ in diebus præteriorum Principum dissi-  
pata corruerat, recuperaretur, ( & quod mirere ma-  
gis quamquam res nota, vel quæ nota esse debet, nul-  
lum miraculo relinquat locum ) idem refert Carlo-  
manus, non obnitente sed agnoscente Concilio Sa-  
cerdotum & Optimatum suorum, singulis ciuitati-  
bus Regni sui singulos Episcopos constituisse, & il-  
lis eundem Bonifacium Archiepiscopum super im-  
posuisse, qui tum missus, id est, legatus erat sancti Pe-  
tri, id est, sedis Apostolicæ Romanæ. Præterea recen-  
set statuisse Synodum anniuersariam, singulis annis  
suo iussu congregandum, ut nobis ( ait ) præsentibus  
Canonum decreta, & Ecclesiæ iura, restaurentur, &  
Religio Christiana emendetur, & fraudatis Ecclesiæ  
pecuniæ repræsententur. Quinetiam narrat falsos  
prefb

Presbiteros adulteros , & fornicatores Diaconos , & Clericos Ecclesiis eliminasse , gradibusq; pulsos , ad publicam pœnitentiam adegisse . Sed & præcepisse indicat vt ( secundum Canones ) vnuſquisque Episcopus admonente Graphione ( quæ alia Francorum monumenta Comitem & Iudicem vocant ) qui & defensor est Ecclesiæ populus Dei paganias non faciat . Hęc exactius appensa , produnt æquis interpretibus , Principem illum summa suæ potestatis cognitione claruisse , nempe se eum fore , quem sibi à Deo credite gentes , vt sublimiorem potestatem agnoscerent , cui liceret accire Regni sui Episcopos in vnum conuentum , non ad leues vel ludicas res , sed ad instaurationē religionis , per iniuriam anteriorū Principum obliteratae , cui etiam Ius esset , singulis ciuitatibus singulos Episcopos praficere , & illis ministrii summū doctorem præponere Archiepiscopum , cui item potestas esset non aliunde emendicata , sed ab ipso cælo data , collapsa Ecclesiæ iura instaurare , deprauatum Christianismum emandare , & fraudes Ecclesiis in pecunia , id est , in qualicunque re factas , sarcire , & petulantes veneria , vel alia lasciuia , clericos cuiuscunque ordinis , exauthorare & gradu perturbare , Episcopisque , quibus officiū est auersos verbis ad officium reducere , ( quoniam quid amplius non licet ) addere Comites , & Iudices , qui neglectores modestiæ verborum , ad officium compellerent asperitate verberum , ad summum tandem creditit . Idē Princeps suæ functionis esse , ne idololatria prin-

## E P I S T O L A

cipali (vt ait Tertull.) Generis humani crimine popu-  
lus suus in contumeliā creatoris inficeretur, & hic va-  
cat futiliter quærere, an Princeps, cuius in Ecclesia  
tanta sunt officia, Synodis præesse, ipsis adesse, & in  
eis summo & principe loco sedere debeat? Præfari  
possum quod pluribus in humiliore negotio fami-  
liare fuit, maius me opus mouere, & ordinem rerum  
mihi nasci maiorem, ad Carolum enim Francorum  
Regem, eundemque Romanorum Imperatorem, ven-  
tum est, magnitudine & rerum gestarum fœlicitate,  
prærepta ferme omnibus, & anterioribus, & poste-  
rioribus gloria, sine pari, propeque solum. Præterea  
pietatis & religionis studio, summos æquantem.  
Cui quanto animus in res diuinas fuit propensior,  
tanto in illis priorum Principum incuria deforma-  
tis cura fuit impensior componendis, eius ergo ius-  
su fraternitatis Episcopalis cœtus Arelatū fuit adu-  
natus, lectis in hanc curam legatis efficassissimis Io-  
hanne Arelatensi, & Nebridio Narbonensi Archi-  
episcopis. Qui cū emédatione digna perspexissent,  
quam breuissime fieri potuit adnotata, eidem Impe-  
ratori præsentanda decreuerunt, vt siquid esset ibi  
minus, eius prudētia suppleretur, & siquid secus quā  
ratio habet, occurrisset, eius iudicio emendaretur, &  
si quid rationabiliter taxatum esset, eius adiutorio,  
opitulante diuina clemētia, perficeretur. In Carolo  
ergo iubente, sublimitatis Regiē culmen cœlitus ma-  
nans agnosce, in Episcopis iubenti parētibus, obse-  
quii veri & officiosi fidem, quæ iubet talem in Regi-

bus honorari potestatem, in Legatis, propone tibi  
Principis imaginē, per illos Synodo præsidentem, in  
Oblatione ad supplendum, emendandum, & perfici-  
endum subsigna Concilii veram confessionē, pro-  
fitentis hæc omnia penes Imperatorem Dei consti-  
tuens Imperio fuisse. Cui quoque Ius sit vi, poten-  
tia & Regia manu definita complere, ut hinc Decre-  
torum Synodicorum Principes, non inficieris execu-  
tores, obserues præterea (hoc æuo) Chrismati locum  
suum pro genere sacramenti nullum tamen autho-  
rem præferētis in Ecclesia fuisse. Arelatensi successit  
Synodus Turonica, in quam collectorum Episcopo-  
rum hæc vera professio est. Quantum piissimi Impe-  
ratoris nostri excellens animus diuinę sapientiæ ful-  
gore sit irradiatus, ad gubernandum præsentium re-  
rum statum, ipsius Imperii sibi à Deo dati liquidò te-  
stantur negotia, quæ quanta sint industria admini-  
strata, prudentia ordinata, facile vel ex eo præcipue  
perspici potest, quod hic toto animo inuigilat, inue-  
stigando, quæ ad pietatem & veram religionē perti-  
nent. His igitur intentus, pios ac religiosos Dei Sa-  
cerdotes, Ecclesiæ gubernacula in regno sibi diuina  
lægitate collato tenentes, saluberrimis exhortatio-  
nibus admonuit, ut sibi commissos verbis & exem-  
plis regerent, qui Turonis congregati pro paruitate  
nostra, quæ secundum canonicam regulam emenda-  
tione indigent, distinctè per capitula adnotauimus  
serenissimo Imperatori ostendenda. Item eiusdem  
generis epilogus, subscriptum hæc in conuentu

Decreta  
Synodalia  
executur  
Rex.

suo à se in hunc modum ventilata, quæ vel stent, vel  
cadant eiusdem pissimi Principis iudicio. In hac ite-  
rum Synodo pœnitentiæ questio discussa est, quali-  
ter hominibus vltro delicta sua profitentibus, tem-  
pus abstinentiæ, & à communione Christiani cœtus  
interim desinendi, præscriberetur, quoniam varie  
ab aliquibus sacerdotibus, & indiscretè hæc iudicia  
proferrentur. Ideoque necessarium videri, consultis  
ad sacrum palatium congregandis Episcopis, hinc  
aliquid certa cōstitutione, definiri & statui, & cuius  
antiquorum liber pœnitentialis, potissimum sequen-  
dus sit, vt & hinc quoque certa figatur regula, pro  
Regiæ in Ecclesia potestatis testimonio, in sacro pala-  
tio, id est, Principis domo, quæri posse de pœnitentiæ  
ratione, raro & insigni sancte Ecclesiæ bono, & huic  
rei quis potissimum sit è pœnitentialibus antiquo-  
rum libellis admittendus, libellis (inquam) quibus  
prisca sedulitas, singulis culpis, suas pœnas inscri-  
psit. Sed & hoc congregatis in illa Synodo Epi-  
scopis, incitatore & authore serenissimo Principe,  
conuenit, quod tamen præsentis ætatis (irato cælo)  
non probat Ecclesia, vt quilibet Episcopus habeat  
homilias continentes necessarias admonitiones, qui-  
bus subiecti erudiantur, prout capere possint, de fide  
Catholica, de perpetua retributione honorū, eterna  
damnatione malorum, resurrectione futura, vltimo  
iudicio, quibus operibus promerenda sit beata vita,  
& quibus excludenda, & vt easdem homelias, quif-  
que aperte transfferre studeat in rusticā Romanam.

linguam , aut Theotiscam quò faciliùs intelligere possint quæ dicuntur, sed hanc (vt dictum est) fœlicitatem seculis nostris inuidet Episcopalis insolentia, volens ipsa in cellam Domini vinariā , id est, sacrarum literarū libros, per claves sibi creditas, id est, linguarum cognitionem , & concionum publicam libertatē, introire sola , & illā populis idiotis, & vernaculę tantūm lingue sciis, sua cuique lingua vulgarē, incendiis, bonorū prædis, exiliis, cœdibus prohibendo precludere, eos qui hec vel auderēt, vel possent absterendo. Est & in Cabilonensi consilio Regiæ in Ecclesia dignitatis & potestatis sublimæ testimoniū, professione Episcoporum & Abbatum totius Galliæ Lugdunensis subsignatū, qui quæcunq; adnotauerunt ad sacratissimum Imperatorē, nempe Carolum, referunt, minus quidem plena, per sapientiam eius plenam supplenda, & rationabilia confirmanda, vltro agnoscentes quodam eius Synodi capite sibi Episcopis, & Regiis comitibus, post Imperialis apicis dignitatē, populi Dei creditam gubernationem , vt summus & primus in hoc ministerio gradus, penes Regem sit, ipsis post illum secundis, & quoniam huic quoque Cabilonensi secundæ Synodo, iugo pene intolerabili, visum est, fœdos impunae conscientiae recessus Sacerdotibus reis & ipsis hominibus , nulla Dei Lege, prodendos, replicata est, cum de huiusmodi re disputatio , & in hoc concordiæ termino , tandem quieuit piæ contentionis altercatio, quosdam, scilicet, solummodo Deo confi-

## EPISTOLA

tenda esse peccata dicere, quosdam vero Sacerdotibus etiam profitenda esse percensere, quod vtrunque nō sine magno fructu intra sanctam fieri Ecclesiam docent Episcopi patres. Ita duntaxat, vt & Deo qui remissor est peccatorum, confiteamur peccata nostra, & cum David dicamus, Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustiam meā nō abscondi: dixi, Confitebor aduersum me iniustias meas Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei, & secundum institutionem Apostoli, confiteamur alterutrum peccata nostra, & oremus pro inuicem, vt saluemur. Confessio itaque quæ Deo fit, purgat peccata, ea vero quæ Sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata, vnde colligere licet, primum quidem illa ætate solitos esse Christianos sua Sacerdotibus peccata retegere, non vt hinc ipsa sibi parci & remitti fiderent, iam per factam Deo eorum confessionem, condonata, sed vt per hoc disciplinæ genus docerentur qualiter præscriptis per antiquos Canones pœnis, diluerentur, non ergo remittebant auditores confessionis, professa peccata: quid enim (amabo) opus erat ocioso labore purgari iam purgata, & condonari remissa? Vimque, quibusdam pœnis exterioribus, eorundem eluendorum tribuere, summa Dei contumelia, solius omnium peccatorum sanguine, in hoc impenso, dilutoris & remissoris? Sed & hanc politiam geminandæ confessionis, si quis (suam antiquitati reueretiam seruado,) nolit oblitterari, vltro nō renitentes, ipsi quoq; sacrae

vetustatis tenacissimi custodes cedimus, si soli qui non norunt præscriptas singulis peccatis in canonibus pœnas, ad hoc se tantum prodere reos adigan-tur, vt illas pœnas doceantur, & docti desinant, cæ-terum quām superflua & inanis religio est, eum qui quid nouerit, id vt discat ad Sacerdotem mittere?

Qui dum audit & docet scientem peccatorem, vel ingratu labore vexatur, vel alium nescientem frau-dat: quod & nosse videntur iidem Episcopi, qui non perenniter vel iugiter, hac operatione, id est, pecca-torum confessione, pollicentur professorib<sup>o</sup> veniam, sed plerunque, ambiguitatis incerto, suum iudicium calumniantes, & quodammodo deludentes. Et cum ipsi statuant modum pœnitentiæ, peccata confiten-tibus, vel per antiquorum Canonum præscripta, vel authoritatem sanctorum scripturarum, vel Ecclesia-sticam consuetudinem, quæ omnibus patent, impo-nendū, num quæso vana est insolentia eum qui hæc omnia norit ad Sacerdotem allegare, vel ad legen-dos pœnitentiales libros, iam merito eliminatos, quia eorum certi sunt errores, incerti authores, cogere? Postrema eorum est sententia, digna piis Episcopis, nempe cælesti magisterio formata, qua monent, qui pleniū nosse desiderat, quid generaliter, in omni-bus, & ab omnibus, sequendum sit, quid vitan-dum, qualiterve intra sanctam Ecclesiam sit viuen-dum, sanctorum scripturarum prata præcurrere non desistat. Hæc agentes tandem ad locum ad pulim⁹, unde partē tituli, quem opellæ huic præscripsimus,

sponsionis, & memores & debitores, exhibere suspē-  
sis longo desiderio lectoribus, queamus, nempe quis  
Quis in sit in Synodis ordo considendi Sacerdotibus, Nobis-  
Synodis libus, Iudicibusq; tandemq; quis constitutus locus.  
ordo cō Hic locus est Magótina Synodus eiusdē Caroli Au-  
sidendi, & qs qd gusti ætate, frequentissimo cœtu, celebrata. Præfan-  
ibi agat. tur ibi qui conuenerant Episcopi, conuenisse sibi, de  
communi collegio clericorum & laicorum, id est,  
vno Dei Populo rei tantæ capaci, tres facere tur-  
mas, sicut & fecisse literis mandarunt, narrantes,  
in prima turma consedisse Episcopos, cum quibus-  
dam Notariis, legentes atq; tractantes sanctū Euau-  
gelium, Epistolas, & Actus Apostolorum, Canones,  
& diuersa sanctorū Patrum opuscula, Pastoralemq;  
librum Gregorii, cum cæteris sacris dogmatibus di-  
ligenti studio perquirentes. Vnde statum Ecclesiæ  
Dei, & Christianæ plebis profectum, sinceritate do-  
ctrinæ, & exemplis iustitiæ, inconuulsum, largiente  
Dei gratia, perficere & conseruare possent. In alia  
autem turma confederunt Abbates, ac probati Mo-  
nachi, regulam sancti Benedicti legentes, atque di-  
ligenter tractantes, vnde Monachorū vitam in me-  
liorem statum, cum Dei gratia perducere possent. In  
tertia demum turma federunt Comites & Iudices,  
in mundanis legibus vulgi iusticias perquirentes,  
omniumq; aduenientium causas, diligenter exami-  
nantes, & quibus poterant modis determinantes.  
Tandemque supplices, ea quæ paucis capitulis per-  
strinxerunt, authoritate Regia, si pietas eius esse di-  
gnum

gnum iudicauerit, expostulant confirmari, & quicquid emendandum erit emendari, ut ita emendata, sibi, cunctaque Christianæ plebi, & posteris proficiant ad vitam, salutem, & gloriam sempiternā. Per hoc ingenue profitentes, totas Synodos, eorum ordinem, in confessu, sententiis dicendis, & decretis exequendis, atque adeo omnium emendationem, probationem, vel improbationem, de Regiæ sublimitatis arbitrio, pendere. Subit Rhemēsis Synodus, ad temporum sancti & fortis illius Imperatoris Caroli, felicitatem, par priori, in confessione Regiæ in Ecclesia potestatis, hoc tamen non inconcinne nec abs re, amplius addens, hanc ipsam Synodum, ab eodem Rege collectam More Priscorum Imperatorum, ut hinc praeiudicetur, ipsas quæ conuenerint citra Regiam voluntatem Synodos, non fuisse legitimū conuentum, sed veteris moris (qui pro Lege habendus est) præuaricationē & insolentē contemptum. Synodus insuper ad Theodosi villā sub eodē Principe collecta est, Metropolitarum Coloniensis, Treuerensis, Rhemensis, cum nūciis reliquorū Galliæ, ac Germaniæ Episcoporū, vbi digna severitate, lege in hoc conscripta, sacrilegæ cædes Episcoporum, plexæ sunt, & Imperator, & pene omnes Galliæ Principes subscripterūt, singuli singulas facientes Cruces, & Ecclesiasticus ordo gratificatorias adclamations rependit Principibus, ut & hinc pars alia propositionis nostræ sibi constet, & quæstio exoluta sit, quid in conuentibus Ecclesiasticis Principes age-

## E P I S T O L A

re debeant, an adesse taciti, an disceptare, & subscri-  
bere? Et certè hīc & statuerunt, & subscripserunt,  
mercedem piæ constitutorum, gratiarum repensa-  
tionem per ordinis Ecclesiastici laudes, reportando  
Ludouicus superno munere victor Augustus, Caro-  
lique patris nō impar virtutibus, sed & ipso mansue-  
tudine superior, Imperiique Romani & Francici di-  
gnus haeres, Anno incarnationis Dominicæ, octin-  
gentesimo decimo sexto, ad Aquas Grani palatiū ge-  
neralem sanctumque Cōuentum indixit, & selectis  
ex omni sacerdotum choro probatissimis, & doctif-  
simis quibusque, suppeditata vberē librorum copia,  
regularem librum, vitæ clericalis professoribus, scri-  
bendum curauit, & lectum frequentissimaque Sy-  
nodo probatum, dignisque preconiis laudatū, Re-  
gia sacerdotalique sententia, statuit ab omnibns qui  
in Canonica professione Domino militant, modis  
omnibus obseruandum: hac opera testatum seculis  
posterioribus relinquēs, pietatis & religionis studiū,  
Regiēq; sublimitatis in formādis & cōponendis cle-  
ri moribus, suæ pietatis officium, & indicans Regi  
throni futuris sibi successoribus, ne concessam cāli-  
tus Regibus potestatem, sinerent eripi, aliisque per-  
mendacionum fucos transcribi. Ante monuimus (si  
memoria non fallimur) Principibus indicendarum  
Synodorū sociis Metropolitis, prærogatione cælesti,  
ius fore, quod nec ipse Ludouicus religiosissimus Im-  
perator, aut prætermisit, aut ignorauit, aut in detri-  
mentum Regiæ in Ecclesia potestatis, vel dolo, vel

potentia cuiusquam sibi passus est intercipi. Nam anno Imperii regnique decimo sexto, quo quique locorum, quibusque Præsidibus, sua præceptione conuenirent Episcopi, Regia in hanc rem Lege lata prescrispsit. Conuentus (inquit) Episcoporum debent fieri in quatuor locis, id est, Maguntiae, quo isti Archiep. cum Suffraganeis suis conuenire debet, Autgarius, Adebaldus, Hetti, Bernoinus. Parisii, Archiepiscopi, Ebbo, Ragnouuardus, Lantramus, Archiep. Senonis qui fuerit, cum eorum Suffraganeis. Lugduni, Archiepiscopi Agobardus, Bernardus, Andreas, Benedictus, Agarius, cum eorum Suffraganeis. Tholosæ, Notho, Bartholomæus, Adelelmus, Aiulfus, cū eorum Suffrag. Et quia per Iuris communis regulas, vocandarum Synodorum prouincialium facultas est Archiepiscopis, ne cuiquam non iure suo, sed legum Canonicarum præscripto, tantus Rex, Synodos ditionis suæ, suis quasque locis partitus esse videatur, Lector est admonendus, omnes prope Synodorum scripturas esse testes, nullas iure conuenisse, nisi vel imperante, vel inuitante, vel conniuente, vel dispensante cuiusque Regni Principe, & ne in hac quoque parte ius quoddam peculiare propriumque supra communem omnibus, Francicis Regibus fuisse, aut inficietur ignorans, aut dissimulet sciens, petenda ratio est eius rei ex alia eiusdem Imperatoris Lege, quæ est Legum eius Ecclesiastiarum vigesima quinta, ibi ergo quo quisque Archiepiscoporum loco, Regia legatione fungi debeat, cum præscribitur, & earum, quæ supra

commemoratae sunt ciuitatū nomina designentur,  
singulare quid & speciale si gnificatur, eoru, scilicet,  
locorum Archiepiscop. esse Regios quoque legatos,  
sed in quā rem, & quid Regia vice præstituros? Népe  
statis & solennibus Synodis attributorum sibi Epi-  
scoporum, imagine quoque Regia præfuturos, ne  
per monstri quandam, videlicet, deformitatē, suum  
caput desit corpori, id est, suus subditis Princeps, ad  
Dei ( post quem secundus est ) conuenientibus glo-  
riam, rem, sic capiti & membris communem, ut ta-  
men summa sit Principis cura, cæteris, ad oneris le-  
uamen, in solicitudinis partem vocatis. Tituli singu-  
laris igitur insigni quadam nota, per illam Legem,  
ciuitatibus ibidem descriptis, præficiuntur ad curan  
rerum Ecclesiasticarum & secularium, duo Princi-  
pis vnius Legati, ad indicū Regiæ vnius in vtraque  
parte, potestatis. Vesontioni (quæ est anteriorib' Ro-  
manis, Maxima Sequanorum, præficiuntur. Hemi-  
nus Episcopus, loco Bernoini Archiepisc. & Mone-  
gundus Comes, Moguntiæ, eiusdem ciuitatis Archi-  
episcop. Heistulfus, & Rotbertus Comes, Treueris,  
Hetti eorundem Archiepiscop. & Adalbertus Co-  
mes, Coloniæ Agrippinæ, Adalbertus eiusdem Ar-  
chiepiscopus, & AEmundus, Comes, Rhemis Ebbo  
Archiepiscopus eorum, quando potuerit, & quādo  
non licuerit occupato, Chrothadus Episcopus eius  
vice, & Frotfridus Comes, eorum tamen functione,  
ad curarum ministeriique facilitatem, intra sex Co-  
mitatus Rhemensem, Catalaunensem, Suassionen-

sem, Siluanectensem, Beluacensem, & Laudunensem  
circumscripta. Super quatuor vero reliquos Episco-  
patus ad eandem diœcesin Rhemensem pertinētes,  
id est, Nouiomacensem, Ambianensem, & Tarua-  
nensem, Rangarius Episcop. & Beringarius Comes  
præesse iussi sunt. Senonibus (vnde mihi qui hæc in  
literas mitto) materna origo est: Hieremias Archi-  
episcop. & Ingobertus Comes, Rothomacho, Vuil-  
lebertus Archiepisc. & Ingobertus Comes, Turono,  
Landramnus Archiep. & Rotbertus Comes, Lugdu-  
no tandem, Tarentasiæ, Viennæ, Albericus Episcop.  
& Richardus Comes præfecti sunt. Titulus autē Le-  
gis ardenti Minio sancti Spiritus igneum fulgorem  
repræsentante, collucens, quām functioni supra no-  
minatorum conuenientē habet, consonantemq; si-  
gnificationem? De Nominibus (inquit) locorum,  
vbi Missi Dominici, (rem grandem grandibus quo-  
que literis ad imaginē vetustissimi exemplaris, quod  
fuit beatæ memoriae Leotherici quōdam Senonum  
Archiepiscopi ipso Ludouico vix uno seculo nupe-  
tioris apices apicibus committentes exscripsimus)  
legatione funguntur. Cum Missos Legis subeat in  
mentem familiare Romanis legibus nomen Lega-  
torum, potestate par, solo vocabulo literisq; solis &  
elemētis impar, cum legens subiicis Dominicos, ad-  
mitte domini vnius Vicarios, & audens autoritate  
legis ampliora, rerum vnius Reipublicæ, vniusq; Po-  
puli, solis ordinum titulis discreti, curas, administra-  
tionem, compositionem, tranquillitatem noueris,

## E P I S T O L A

vni Domino cælitus delagatas, & vt expeditius faciliusque transfigatur, in duos Sacri & Popularis ordinis Viros disperitas, qui nō sua, sed vnius aliena Iurisdictione fungentes, suis actionibus, vni se militare Potestati, vtrique ordini, cœlesti Imperio præstitutæ, de nomine Missorum & Legatorum fateantur. In Minii rubore, vim gladii principalis agnosce, ad bonorum tranquillitatem, noxiorum cruento rubentis, & tandem ipsum Dominum, vnde Dominici dicuntur & sunt Missi, vtrunq; rutilis vestibus (ex more) micantem, & ignitum de minii rubore in eodem titulo fulgētis, sancti Spiritus (qui familiari literis sacris sermone, ignis dicitur) authoritate, rebus humanis, sacris popularibusque præesse Principem, fateare. Nam & hoc admonent formulæ quædam, in eiusdem Principis legibus, vel Ecclesiasticis, vel (vt loquitus est qui literis eas mandauit Ansegisus,) munidanis. In quarum priore, sub titulo de commemoratione eorum quæ ad legationem prædictorum. Missorum pertinent, Princeps laudabili in Rempublicam sibi à Deo creditam, sedulitate commendabilis, admonet suæ sublimitatis Vicarios, omnibus generaliter notum facere, quæ sit eorum legatio, properaque se, ad hoc esse à Deo missos, vt si quilibet Episcopus aut Comes, ministerium suum, quolibet impedimento præpeditus, implere non possit, vel si forsan vterque negligentius aliquid in sua functione fecerit, ipse certior factus, diligentiam suppleat impotentis, & interposita cognitione, manu,

operaque negligentis tarditatem, vel emendet, vel excitet. Constat igitur Legatos Principum, Dei quoq; (quo solo Principes sunt minores) legatione fungi: ut imaginem Principum referentes, non Populares tantum, Iudices, sed & Sacerdotes, vel depravatos corrigant, vel segnes excitant, vel noxios loco moueant, insigni Regiae maiestatis & potestatis invtroque ordine Sacerdotali & Populari, testimonio. Posteriore vero constitutione, ipsis Regiae potestatis actoribus, id est, Missis Dominicis, & Legatis proponitur, quæ sit in conuentibus populi totius, priore tractanda loco causa, nempe Christianæ Religionis, deinde, quid vel ex parte, in eius rebus neglectū sit, vel funditus omissum: ut neglectus, iugi & continua eorū cura sarciantur, & quod adaugendum fuerit, exactiore nixu, consentientibus Episcoporum & Comitum strenuis & sedulis consiliis, propensissimè curetur, & tandem si quid in Christianis rebus, regulæ authoritatique diuinæ, per licentiam depravationis abductum sit, in deuia deformationis, ac discordiæ, studiis utriusque ordinis Legatorum, suę formę, viæ, & concordiæ reddatur. Viguit quoque cœlestis gratiæ munere, feroꝝ auitus & paternus, in fœlici filio Carolo, eius nominis, Francorum & Romanorum Rege secundo, qui auum patremque, genuinus hæres, pari virtutis totius imagine, referens, curę impennis habuit, ne suus religioni decor, sua regula, vel vigor deesset, vel quadam tenus minueretur, etiamsi (hæc vox est Sanctorum Meldeñ. concilii Patrum)

## E P I S T O L A

digni peccatis huius ætatis Apostoli Nortmāni, ipsa  
Barbaria tum ferociores, infensissimique Christianæ  
pietatis hostes, incendiis vrbiū, cedibus populorum,  
prædis bonorum obstreperent, æuique prioris trān-  
quillitatem, incursionis suę nubilis obducerēt. Nam  
euocatis Vuenilone Senonum, Hincmaro Rhemo-  
rum, Rodulpho Biturigum, Guntbaldo Rothoma-  
gensium Metropolitis Episcopis, & eorum Suffraga-  
neis, primū Coloniam, deinde Lutetiam Parisio-  
rum, posthæc ad Theodonis villam, postremò Lau-  
riacum villam Regiam agri Andegauensis, subinde  
Beluacum, tandem Meldos, Anno incarnationis do-  
minicæ octingentesimo quadragesimo quinto, de-  
cimo quinto Cal. Iul. indictione octaua, cōsidentib⁹  
& ad fidētibus Francicæ, Germanicæ, & Gallicæ no-  
bilitatis frequentissimis proceribus, primū Sacer-  
dotibus, ac Dei seruis, munificentia Regalis priuile-  
gia stabiliuit, Regali potestate, illustriumq; virorum  
strenuitate, insuper Reipublicæ iudicū monita for-  
titudine constituēs, vt suum quisque suo ordine mi-  
nisterium, religiosis Episcopis, ad rerum sacrarū cu-  
ram, vltro concurrentes & obuii iungerent. Sed & o-  
mnium ordinum, siue eorū qui præerant sacris Epi-  
scoporum, siue qui Rempublicam curabant subli-  
miorum potestatum consensu, honori Regio, Rega-  
lique dignitati, suam sanxit regulam, fidem, sinceri-  
tatem, & obseruantiam. Præterea non immemor, id  
quoque Regii iuris, per aucti paternique regni tem-  
pora, fuisse, vt lecti Clericali & Populari concordia  
Sacer

Sacerdotes, soliis manu Regia, suis imponerentur: concordibus omnium ordinum sententiis decreuit, vt quandocunq; Deo dispensante, quilibet Episcopus ad Deum migraret, submota funditus peste Simoniacæ labis, sine dilatione, iuxta Canonicam authoritatem, sedes vacans Episcopum à se regulatiter designatum, & gratia sancti Spiritus consecratum, acciperet, Monachatum composuit: Monasticenq; professis, Abbas eiusdem professionis præfecit, commendata iure Regio, monasteriorū cura: Episcopia, id est, domos Episcoporū, in peculiaria quædam diversoria, semota hinc hospitalitate, per ambitionem mutatas, suæ regulę restituit: ornataſq; & bene compositas Episcopis, pauperum subleuandis & solanis necessitatibus, redhibuit, Regiásque in his mansiones, iure Regio, per antiquitatem, in transitu constitutas, vltra quām pat erat licētiores, ad temperantiam Regib⁹, & Episc. dignā redegit: manus insuper petulantis exercitus, Regem peregrè subsequentis, arcta in abstinentiā præda, coercuit. Iustitium, sacræ parcinoniae diebus, dum iejuniorum Deo Christianus cœtus victimas litat, indixit, vtq; liberius Episcopi quæ C H R I S T I sunt, docerent, iurgia, forensisque strepitus, ipsamque adeo causidicinam vetuit exerceri. Item circummeare sua territoria iussit Episcopos ipsos, per se, nō opera vicaria: facilitatem insuper ex alia, in aliam ciuitatem migrandi, pene nimiam, in canonicæ regulę modestiam restrinxit, abductum pene Metropolitanis sedibus honorem, sta-

tutis antiquarum sanctionum præstitutum, iussit à comprouncialibus Episcopis, omnem, citra vllum detrimentum, redhiberi. Tandémque (vt par est credere) cælitus admonitus, & iam inde cancellos, licentiosis magistris figens, in exponēdis prædicādísque diuinis scripturis, Catholicorum tantū & probatissimorum Patrum sensus, vt quisque sequeretur, edixit, & impensiore cura, vocum nouitates prodi, & prolatas, mox accerrimè coargui, & cōprimi mandauit: Episcopisq; doctores dedit comites, sacrarum rerū cognitione, & pietate cōmendabiles, qui iuxta sincerissimum, & purissimū sensum Catholicorum Patrum, fidem, eiisque per sedulas operationes efficaciam, presbiteros plebēsq; presbiterorū, docerent, ne domus Dei viui, (placet ipsius verba literaliter exscribere, vt impressius lectorū mentibus insideant) quę est, inquit, Ecclesia, sine lucerna verbi diuini, remaneat. Ac postremò, iuges & perēnes, Ecclesias suis adesse iussit Episcopos, propter sacra misteria, vel ministeria fidelibus exhibenda. Vtuit etiam Baptisma omnibus diebus licere, nisi supremæ necessitatis articulis, ad eius exhibitionem, pietas vrgeretur Christiana. Et vt tandem desinamus, Canonico nomini, id est, Clericatui, suam rem atq; efficaciam reddidit, tandem coactis omniū Episc. Canonicis, esse quodocabantur, vt Regulari nomini, morum par compositione responderet, secundum Aquensis Synodi regulares institutiones, à Ludouico patre, subscribente cœtu, qui tum conuenerant Episcoporum, ante san.

citas. Videmur nobis ( si non morosus aliquis lector  
obluctetur ) fecisse satis, huius opellæ capitulis ex no-  
strisibus, domesticisque Francicarū Synodorum te-  
stimoniosis, sed & cognatas iuxta sponzionem ex Ger-  
manicis cōciliis subscriptiones, prolixiore forsan tra-  
ctatu collecturis, concitatoris ingenii lector, parcat  
placati & cunctantis faueat. Nam quid nimis in re-  
bus diuinis, & in asserenda Regum vera dignitate,  
videri vel debet, vel potest? cum huiusmodi labor,  
non tam gratulatio, quam debiti officii sit executio.  
Arnulphus & ipse gente Carlingus auos, in censu &  
stimate generositatis suæ, Ludouicos, Carolos, Gun-  
trannos, Childebertos ac Clodoueos computans,  
Synodis duabus Mogontina & Triburiensi, suo Im-  
perio coactis, iure cælitus indulto, præfuit & inter-  
fuit, optimates habens sacrosancti huius ministerii  
Francicæ, Germanicæ, & Gallicæ nobilitatis opti-  
mos quoque Comites, qui & subscripserunt, facta  
tamen ante pollicitatione, se Regis idem sponden-  
tis Imperiis, mox executores ad futuros, compellen-  
dorum ad Synodicarum sententiarū obedientiam  
detrectatorum. Otho & ipse materna origine Car-  
lingus, Ioannem Romanæ Sedis Episc. monstrum  
( ut huius temporis scriptor Liutprandus scripsit Tri-  
cinensis ) nulla virtute redemptum à vitiis, ipse Sy-  
nodo Romanæ præsidens, cui Clerus, Nobiles O-  
ptimates, Plebis Principes, atque adeo ipsa selecta  
Plebs adfuit, ore Imperiali, diuina tamen efficacia,  
subscribente Clero & Populo, folio Petri indignum

## E P I S T O L A

prædonem, meretriciis turpitudinibus contaminatum, deturbauit: & detersa fœdi hominis rubigine, impio pium, improbo probum, Leonem hirco suffecit Episcopum. Et ne excidat, lector piarum rerum curiose, si quando citatum leges authorem, memento, per verbum, Placet, summam Synodali sententię clausulam regali sermone impositam. Et cum Romana leuitas digresso Principe, Leonē inconstanza venali, folio Pontificali deturbasset, recepto Ioanne, statim reditu eiusdem Principis proteruiā coercitam, exauthorato Imperiali iure, quē mortuo Ioanni susfecerant, Benedicto, dictum, scriptum, & antiquis creditum est, Ecclesiam, quę si vna non est, nusquam est, pro diuisione regnum, nullam vel ferre, vel sentire partitionē debere: sed vnam semper, suis absoluto orbe, nullo corporis interuallo, partib⁹ constitutam & continuam persistere. Hęc admonemus, quoniā fœlici adhuc, & nec dum in extremā ruinā lapsa Republica Romana, unus erat Ecclesiæ status Galliis, duab⁹ Germaniis, & Britanię, Imperii népe Romani occidua parte ditionēq; in trium prætoriorum summas præfecturas disperita, Italicam, Gallicam, & vrbis tandem Romæ præfecturā, quarū præfecturarū præfectis titulus illustriū erat, quē obruta, & in varias partes lacera Republica, Reges externarum nationum Francicæ, Burgundicæ, Vandalicæ, Alanicæ, Gothicæ tanquam Augustum quid, & Romanæ maiestatis splendorem referēs, sibi quisq; inscripserunt. Porro suberant dispositioni viri illustris.

præfecti prætorio Galliarum, diœceses infra scriptæ.  
Prouinciæ Galliarum decem septem, Viennæsis, Lu-  
gdunæsis prima, Germania prima, Germania secun-  
da, Belgica prima, Belgica secunda: Alpes maritimæ  
Alpes penninæ, & Graiae: Maxima Sequanorum:  
Aquitania prima, Aquitania secunda: Nouem popu-  
li, Narboñ. prima, Narboñ. secunda Lugd. secunda,  
Lugduñ. tertia, Lugdunæsis Senonia. Prouinciæ Hi-  
spaniarum septem, Betica, Lusitania, Callecia, Tar-  
raconensis, Carthaginæsis, Tingitania, Balçares. Bri-  
tanniarum quinq; prouinciæ, Maxima Cæsariensis,  
Valentia, Britannia prima, Britânia secunda; Flauia  
Cæsariensis. Et cum iis omnibus per vnitatem regi-  
minis, eadem esset in sua cuíque portione, Reipu-  
blicæ regendæ forma, par quoque fuit in religionis  
ordine concordia. Probat hoc Britannorum Episco-  
porum querimonia, qui labem Pelagianæ superbiæ  
salutem suam sibi, summa gratiæ diuinæ cōtumelia,  
tribuentis, inuitato Gallorum Episcoporū suffragio,  
ex regni & religionis communione sociorum, nem-  
pe Germani Antissiodorensis, & Lupi Trecësis auxi-  
lio, pugnis duabus celeberrimis repressit, & funditus  
attriuit. Non ergo præter rem, absurdum ineptumq;  
videri debet, si nos Galli Synodos Hispanicas præ-  
fectorii nobis tribunalis olim societate coniunctas,  
& sacerdotum nunc quoque socias ad argumenti no-  
stri discussiamus autoritatem, Gothis certe Regi-  
bus omnes coactas, sed Christianæ religionis pietate  
claris, & ad vsque miraculum commendabilibus. A-

gebatur Annus quintus gloriōsi Gothorum Regis  
Reccaredi, (cuius in sequentibus futura mentio fre-  
quentissima est) cum aliquot sancti Episcopi, quibus  
sedis praerogativa Praeses erat sanctitate pari Leán-  
der Episcopus, animi sacræque religionis cōiunctio-  
ne, Gregorio Romano Pótifici, eius nominis primo,  
deuinctissimus, agnoscentes clericalem quoque ca-  
stitatem Regiæ curæ cælitus, ut Ecclesiastica cætera,  
commendatam, Hispalim cōuenientes placere sibi  
tertia definitione scripserūt. Ut si Presbiteri, Diaco-  
ni, vel Clerici consortia extranearum fœminarū, vel  
ancillarum familiaritatē, per admonitionem sui Sa-  
cerdotis, nō semouissent. Seculi iudices easdem mu-  
lieres permisso voluntatéq; Episcopi comprehensas,  
in suum sibi lucrum usurparent, ut hoc vitium dum  
impar est Sacerdos inhibere, sufficeret potestas iudi-  
cialis coercere, dato tamē ab eisdem iudicibus sacra-  
mento, ut eas Clericis nulla arte restituerent. Quod  
si restituissent, ipsi iudices sacrī abstinerentur. Mu-  
lieribus vero illis, iuxta priorum Canonum seuerita-  
tem, à Sacerdote distraictis, pretium earum, indigen-  
tibus disp̄saretur. Hac Synodo fuit anterior Tolera-  
natertia, regno eiusdē glorioſiss. piiss. & Deo fideliss.  
Reccaredi Regis, priore, hoc augustinor, quod omniū  
Episc. Hispaniæ & Calliciæ erat toto cœtu frequen-  
tior. Qui huc omnes mādato eiusdē Principis cōue-  
nerant, tam de eius cōuersione, quam de gentis Go-  
thorum relieto (Arrianismo) innouatione in Do-  
mino exultaturi, diuineq; dignationi pro tanto mu-

neræ gratias acturi, cuius Synodi ne dum cuncta di-  
scutimus, qui placere & iuuare volumus, prolixitate  
sermonis in officiis denotemur, ad propositū com-  
modas satis erit excerpere sentētias. Ibi ergo in con-  
ciliis quæ ad vniuersalem fidei tractatū conueniunt,  
Principes præloquuntur: certa & vera congregato-  
rum illuc Episcopū confessio est, collapsæ cœtus Ec-  
clesiastici disciplinæ, instaurationem curæ & operæ  
regalis fore: Ipsosque adeo Pontifices, Regiæ guber-  
nationi subesse: Regis item, non aliunde quam cæli-  
munere ius esse Synodos Episcoporium indicere: &  
eorum, facta inductione, si nolint sacris legibus con-  
contumaces suggillari, officiū esse, sedulo efficaciq;  
obsequio, nulla cunctatione, præfentes & frequētes  
adesse. Insuper ibi agnoscunt Episcopi, diuina pro-  
uidentia, per instantiam Principum, pelli & deturba-  
ri obices hæreſeon: Ecclesiæ mores obsoletos in an-  
tiquum nitorem restitui: ordinemque Canonicum,  
quem Sacerdotalibus sensibus iugis detraxerat obli-  
vio, & quem ætas illa se nescire fatebatur, diuino do-  
no, eiusdem Principis obsequio, rursum patefieri. Ibi  
placita Principum pronunciante Notario, recitan-  
tur. Ibi pia professio est, idololatras vtriusque magi-  
stratus Regii & Ecclesiastici, sedulis efficacibusque  
censuris coercēdos: parricidas filiorū parentes, quos  
est alere tedium munerosos: vtroque iudice ſeueri-  
ter distringendos. Et ne hoc Ecclesiastica videretur  
Regiæ per gratiam cessisse potestati, fides est ex aetis  
Synodi, eiusdem Regis Reccaredi gloriā, iudicibus.

imperare dignatam, ut amouendum cum Sacerdote  
tantum facinus diligenter curarent, & adhibita se-  
ueritate prohiberent. Gothi in hac Synodo veterem  
perfidiā exuentes, Regem suum secuti, per vnitio-  
nem sacrosancti Chrismatis, & manus impositionē,  
sancto Paracleto spiritu recepto, ex alienis Christia-  
ni facti sunt, eidemque Regi, sancta constitutione,  
quicquid ad componendum Ecclesiæ statum, man-  
dato suo, fraternitas Episcopalis statuerat, cōfirman-  
ti, subscriptores fuerūt hoc ordine. Ego Reccaredus  
Rex, fidem sanctam, & veram confessionē, quā vna  
per totum orbem Catholica cōfitetur Ecclesia, cor-  
de retinens, ore adfirmans, mea dextera, Deo prote-  
gente, subscripsi. Ego Badda gloria Regina, hanc  
fidem, quam credidi & suscepi, manu mea, de toto  
corde subscripsi. Secutæ sunt regales subscriptiones,  
plenæ, iucundæ pietatis & religionis, Episcoporū ac-  
clamations. A Deo æternum meritum vero Catho-  
lico Reccaredo Regi, à Deo æterna corona vero Or-  
thodoxo Reccaredo Regi, Præsens gloria & æterna  
amatori Dei, Reccaredo Regi, nouarum plebiū in  
Ecclesia conqueritori, merenti veraciter Apostolicū  
meritum, qui Apostolicum impleuit officium. Sub-  
scripsérūt etiam anathematizantes hæresim Arriani  
dogmatis Anastasius, Murila, Viligiscus, Somnila  
Cardingus, Bercilla, Arbitrus, Eruiscrius Episcopi  
olim Arriani, tunc primū Christiani. Subscripsérūt  
quoque Guscinus, Fonsa, Afrila, Abila, Flauius, &  
omnes illustres Goþorū seniores, & hac Synodis  
decre

decretis meta fixa, sanctum est, ut semel in anno, in loco, quem Metropolitanus elegerit, congregaretur Episcopi: & illis in unum conuenientibus, fierent sacrae societatis comites, locorum Iudices, & patrimoniorum fiscalium Actores: ut discant ex Decreto (inquit Episcopi) domini nostri Reccaredi Regis, quam pie, iuste, & humaniter, cum populis agere debant, nec iniustis vectigalibus, & immoderatis extractionibus, ipsos premat. Sed potius a grauaminibus leuent, ut bonos populi tutores facere decet, nec angariis, aut operis superfluis, vel priuatū onerent, vel fiscalē grauent. Ex Regis insuper admonitione prospiciant Episc. qualiter iudices cum populis agant, præmonitos corrigant, insolentes Principibus reos deferant, pertinaces (donec resipiant) communione suspendant. Vtrique tamen, Episcopi, Iudices & Actores regalis patrimonii, non ante concilio exce-  
dant, quam locū elegerint, quo succedēte tempore, ad concilium redeant. Hic habes lector bonam partem sponsonis nostræ plena fide præstitam, scilicet, Iudices Populares, & rei Regiae priuatae & fiscalis Actores, suo iure, non nupera temeritate, sed antiqua constitutione, Synodorum Episcopaliū, & esse participes & capaces, nempe ipsos Regii corporis partem, cui Regi, cœlestis muneris prærogatiua, in conciliis locus, tanquam populi sibi a Deo crediti, vel sacris addicti, vel vacatis, capiti, destinatus est. Hisplim iterum conuenierunt Sisebuto Rege, Isidorus, Bifinnius, Rufinus, Cambra, Fidentius, Theodulphus,

## EPISTOLA

& Honorius Episcopi. Ibiq; in cœtu ad Ecclesiasticas necessitates, non omnes, sed quasdam coadunatorum Episcoporū, illustres viri Sisibutus rector rerum publicarū, & Sualanes Actor rerum fiscalium, loco suo, ipsis Episcopis consederunt. Non ergo solis intersunt iis Synodis sublimes seculi Magistratus, quæ pro generali Ecclesiæ statu cōponendo, coguntur: sed & iis, per quas in partem, nonnullis Ecclesiæ rebus datur opera reformādis, & quod ad deprimendum clericale supercilium non est usquā clariūs adnotatum, sedentibus seculi potestatibus, stat religiosissimus Clericatus. Toletum quartò conuentū est, annum iam tertium regnante gloriosissimo Principe Sisenando, Nonis Decembribus, ab Hispanis & Callecis Sacerdotibus, iussu Imperioque commonitatis Regio. Et tum consentientibus omnium sententiis, duo quædam decreta sunt, propositæ questioni lucem plurimam adferētia. Prius ut pro compellendis Iudicibus, vel secularibus viris, ad Synodum, strenuus à Principe postularetur executor. Posterius, ut hora diei prima ante solis ortum, omnes eliminētur Ecclesia, & cōuenientes Episcopi, pariter introeant, & secundum ordinationis suæ tempora sedeant: vocentur deinde Presbiteri, quos causa probauerit introire: post hos ingrediantur Diacones probabiles, quos ordo poposcerit interesse. Post Episcopos, Presbiteri sedeat: Diaconi in conspectu eorū stent. Deinde ingrediantur Laici, qui Concilio interesse leđti meruerint. Ingrediantur quoque Notarii, quos ad

recitandum, vel excipiendum ordo postulat. Seden-  
tes in diuturno silentio Sacerdotes, ad orationē vo-  
cet Archidiaconus. Oratione finita, & ab omnibus,  
Amen reddito, monens Archidiaconus Episcopos,  
dicat, Erigite vos: Codex Canonū sedentibus Epi-  
scopis in medium proferatur: capitula de Conciliis  
agendis pronuncientur: Metropolitanus Episcopus  
conuentum adloquatur. Tertium quoque quod ex  
iis subnotari meretur, & lectoribus ob oculos ponи,  
est, iam olim visitatum esse, legi ad Concilium Episc.  
probatos laicos, non officio quidem gratuito, sed iu-  
re debito. Ut cum vna sit duorum ordinū Ecclesia, si  
desit alterius ordinis, vel pars, nō iam sit Ecclesiasti-  
cum Concilium, sed particulare contubernium. Ibi-  
dem præterea ( quod ante iam commonuimus) pre-  
cepto excellentissimi Sisenandi Regis, idem consti-  
tuit sanctum Conciliū, vt omnes ingenui clerici, pro  
officio Religionis, ab omni publica indictione, atq;  
labore habeantur immunes, vt liberi Deo seruant,  
nullaque præpediti necessitate, ab Ecclesiasticis offi-  
ciis retrahantur. Vnde probatio est, clericos publicis  
necessitatibus ( si Regio munere nō fiant inimunes  
vacationemque meruerint) succedaneos esse, cæte-  
rorum popularium imagine, quibus hæc est cælesti-  
bus imperiis subeunda functio, & religiosa tandem  
frequentia, piis admonitionibus ad Regem cōmu-  
niter factis, soluitur. Te quoq; (Episcop. inquietibus)  
præsentē Regem, ac futuros ætatum sequentiū Prin-  
cipes, humilitate debita deposcimus, vt moderati, &

mites erga subiectos , excitantes cum iustitia & pie-  
tate populos à Deo vobis creditos regatis , bonamq;  
vicissitudinē, qui vos nobis prēstituit largitori Chri-  
sto rependatis, in humilitate cordis , cum studio bo-  
næ regnantes actionis. Nec quisquam vestrūm solus  
in causa reum, sententia feriat , sed consensu publi-  
co, Rectoribus iudicii sociis , manifesta delinquen-  
tium culpa clareat, seruata à vobis in offensis māsue-  
tudine : vt non seueritate magis in illis quām indul-  
gentia polleatis , vt dum omnia hæc ( authore Deo)  
pia à vobis moderatione conseruantur , & Reges in  
populis, & Populi in Regibus , & Deus in vtrisq; læ-  
tetur. Tandem annuente religiosissimo Principe, de  
finitionibus concilii subscribitur. Vnde quoq; pro-  
batur, annuentem Principem, sua quibus consensit,  
fecisse decreta : claro Regiæ potestatis in Ecclesiasti-  
cis conciliis testimonio, Principes, ipsis cōuentibus,  
vel summos præesse, vel certè summate loco subscri-  
bere. Quintæ quoque Synodo Toletanæ, gloriosus  
Princeps Chintilanes Rex , agens annum primū sui  
Principatus interfuit, sociis optimatib<sup>9</sup> & senioribus  
Palatinis. Synodus etiā Toletana sexta secundo eius-  
dem Chintilanis anno coacta est, sexto Idus Ianua-  
rias, que multas , iungens cum ipso Principe, Opti-  
matibusq; eius illustribus, censuræ consortium, pie-  
tatis plenas constitutiones, ad obsequium fidemque  
Regis pertinētes, sanxit & cōstituit. Braccaram præ-  
terea Calleciae prouinciae Metropolim ciuitatē, præ-  
cepto gloriosissimi Regis Ariamiri , Cal. Maii con-

uenerūt Lucretius, Andræas, Martinus, Cottus, Hilde-  
dricus, Lucentius, Timotheus, & Maliosus, quibus,  
aspirante Domino, Regalis sublimitas concessit si-  
mul positis considere, & contagionem Priscilliani-  
cæ pestis è præcisæ iam stirpibus subnascentē reuel-  
lere. Secunda item Braccaren sis Synodus eiusdem  
Regis Ariamiri, anno secundo, decimo octauo Cal.  
Januarias inspiratione Dei, ordinatione & præcepto  
eius, representata est. Septima etiam Toletana Syno-  
do cū ageretur annus Chindasuindi Regis quintus,  
Calen. Nouembribus repressæ sunt clericales in Re-  
giam sublimitatem conspirationes. Sed & Recce-  
siuntus veræ clementiæ dignitate precipuus Rex, sa-  
crum octauum in ciuitatem Toletanam coegit cón-  
ciliū, & media Synodo primùm accliuis, deinde Sede  
Regia sublimis, gratulatus est Episcopis, quòd sua  
iussione conuenissent, & illustribus ex aula sua Re-  
gia viris quos sanctæ Synodo primatus interesse,  
iamdudum constitutus voluit, vtrisq; diuini nomi-  
nis adiuratione constrictis, adiicio (inquit) consen-  
sionis meæ, verum plenumque promissum, ut quod  
cunque iustitiæ, aut pietati, salutarique discretioni,  
vicinum decernere, sancto cōsensu elegeritis, omne  
(fauente Deo) perficiam, & aduersus omnimodam  
controversiarū querelā, principali authoritate mu-  
niam. Sunt hæc (si non fallor) plenissima testimo-  
nia Regis suo iure Synodum accersentis, & eodem  
iure Synodicas cōstitutiones exsequētis. Huic quoq;  
Synodo subscripta post Episcopos, Abbates, Vica-

## E P I S T O L A

rios Episcop. viri illustres officii Palatini, Odoacer,  
& Osila Comites cubiculariorum, Aduulphus, Ga-  
billo, Ataculphus, Gilla comites, Paulus comes No-  
tariorum, Ruchilla comes Patrimoniorum, & fre-  
quentissimi Goticæ nobilitatis proceres, titulis Du-  
catus & Comitatus insignes. Nona Synodus Toleta-  
na, anno septimo eiusdem Reccesiunti Regis, Cal.  
Nouembribus, definientibus Episcopis sexdecim,  
alienorum votorū frustratores, qui certis adfixerunt  
locis sua beneficia, ut maneret offerentiū gratia, vel  
ab Episcopis, vel à Iudicibus seculi, corrigēdos cen-  
suit. Si autem (quod auerteret Deus) per sceleris so-  
cietatem, vel Episcopus, vel Metropolites connive-  
rent, ad Regias aures in castigationem noxię fraudis  
compellandas, vountum posteritatem admontuit:  
certa probatione Regiæ in votis fidelium potestatis,  
si vel in totum fraudulentur, vel locis interpolentur.  
Ann.oct. Toletana Synodus decima gratias agit glo-  
rioso rerū domino Reccesiunto Regi, cuius sanctissimo  
voto, retenta sanctæ paternitatis traditione, ad  
sacrū potuit adunari cōuentum, quē pia & vera pro-  
fessione sancti (qui huc cōuenerūt) Episc. claudētes,  
dicūt eiusdē gloriosiss. Principis inhærēte voluntate  
religiosa, quicquid decreuerūt, actorū se textibus ad-  
ligasse, & subscriptionibus confirmasse, (de moribus  
per antiquā traditionē receptis) auctorē Decretorū  
ſuorū Principem, vel certè participē faciētes. Colle-  
cti posthæc, in nomine S. Trinitatis, Episc. Cartha-  
ginensis prouinciæ, Toletum, Vuambani Regis, an-

no quarto, septimo Idus Nouemb. Eramus (inquiūt)  
hucūque pro colluuiione seculi labentis instabiles,  
quia series annosa temporum, subducta luce Conci-  
liorum, nō tam auxerat vitia, quām matrē omnium  
errorum Ignorantiam, mentibus ociosis ingefferat.  
Hac tenus florentem Domini vineam deuastarunt  
Apri frendentes, Sponsam C H R I S T I , quā sui pre-  
ciosissimi sanguinis effusione, sibi conciliauit, con-  
spirans hæreticorum subdola machinatio, Inconsu-  
tilem Domini vestem diuidere, Vnitatem fidei scin-  
dere, charitatis somēta tollere conata est: proprioq;  
fensi pertinaciter inhærens, sacræ scripturæ purita-  
tem, suæ prauitatis intelligentia, prophanauit. Præ-  
terea sacrosanctam Ecclesiam Dei vulnerant etiam  
custodes eius, qui cum deberent ob dignitatis excel-  
lentiam, cæteros ad charitatis & vnitatis obseruan-  
tiam per exempla virtutum prouocare, sal infatua-  
tum facti, potius scandali, quām ædificationis sug-  
gerunt materiam. Cernimus hinc, quo Babylonice  
confusionis olla modo succensa, nunc auerterit &  
subduxerit Conciliorum tempora, nunc Sacerdotes  
Domini resolutis moribus, purpuratæ sequitos in-  
eitamenta Meretricis irretiuerit, nempe quia cōuen-  
tus Ecclesiastici defuit disciplina: nec adfuit, qui ca-  
stigaret errantes, fermone diuino, non tam negle-  
cto, quām exoso: & sic cū defuerit Pótificibus in vnū  
conuentū vocādis Regia præceptio, facta est deprava-  
tiorū vita totis sceleribus immanis. Cū tandem di-  
uina clementia, praua in directa deplanās, negligē-

## E P I S T O L A

tiæ diligentiam subrogans, ignorantia disciplinam sufficiens, Socordiæ, Solertiâ, Schismati, Veritatem substituēs, pro Zizaniis, veræ Pacis vincula necens, pro caducis cœlestia, pro turpibus honesta desideria suscitans. In hacque lachrimarum valle mortuos potius quam viuos, à terrenis & infimis ad sublimia nos erigens: in hoc vasto periculorum mari, sine remige vagos sine clavo, huc illucque tempestatum collis inter se fluctibus per abrupta iactatos, in continua malorum acie cōfligentes, ubi versutissimus insidiatur hostis, mille instructus nocendi artibus, ex alto cœli domicilio prospiciens, & temporis ætatis nostræ se pronam dimisit, & excitauit saluti, præparans nobis Religiosi Principis mentem, deuotam pariter, & instructam. Cuius prouidæ solicitudinis voto, & lux Conciliorum renouata resplenduit, & alterna cœtus nostri Charitas, se mutuò vel corrigendis, vel instruendis moribus adparauit, dum & aggregandis nobis hortatu Principis gloriosi facultas data est, & opportuna supparata est disciplina reformandis. Toletum ergo diuinæ voluntatis Imperio, & religiosi Principis iussu, euocatorum Episcoporū, quam pia, quam hæc vera professio est, agnoscentium cœlestia in euocatione Principis imperia, eiusdemque prouidentiæ solicitudini, redditam Conciliorum lucem ad sarcandas Ecclesiæ clades, redhibentium. Dumi moratur Princeps Synodos inuitare, qui legis tot vitiorū scordibus Ecclesiam fuisse deformatā, num ipse quoque, vel coactus fateris suam Synodis à cœlo per Regem

gem authoritatem manare, quibus obliquitate querimoniarum Synodos non urgentibus prope impunitari vides Ecclesiasticam depravationem? Cæterum si nec author, nec inuitator, nec socius, nec cōfessor, nec censor, nec sublignator Synodis & esse, & adesse & præesse per Deum debet Rex, vnde profitentur Episcopi, modo, diuinæ voluntatis Imperio, iussu Regio, se ad instaurandos Ecclesiæ mores cōuenisse? qua etiam ratione præfantur se prouidæ Principis sollicitudini, restitutam conciliorum lucem debere, si nullam iis adgregandis, vel operam, vel curā, vel debet sedulitatem? Sed ne sanctæ confessionis veritatem, vlo sinistræ suspicionis aculeo lacefas, cunctare, & audi decima quinta eiusdem Synodi definitione sancitum. Ut omni anno, ad peragendā Concilii celebritatem (tempore quo Principis, vel Metropolitani definierit electio) deuotis animorum studiis, in Sedem Metropolitanam, ab Episcopis confluatur, annali (si defuerint) nulla Regis præpediti potestate, vel ineuitabili necessitate, excommunicatione plectedis. Hic tempus Rex & Metropolites definiūt Synodis, & absentia Sacerdotū adesse negligētium, nulla potestatis Regiæ, vel ineuitabilis alterius necessitatis iustitia nitens, abstentione mulctatur, ut discamus, & in uitationem, atque adeo ad Synodum indicto tempore coactionem, & detrectatorum castigationem, Regii & Sacerdotalis esse iuris, ne deinde vacet querere quid Regibus & Synodis sit commercii. In quorum diuino munere manum totas se-

mel Synodos legimus esse traditas. Id eiusdem Synodi sanctis & piis Sacerdotibus, hac plena pietatis adclamatione Principi Vuambano facta, sic profidentibus, religiosus & amabilis Princeps Vuambanus (Ecclesiasticae disciplinæ suo seculo nouus reparator) omissos conciliorum ordines non instaurare solùm studuit, sed annuis etiam recursibus celebrandos instituit, ut ad alternam morum correctionem, annuo tempore concurrentes Episcopi iuxta Prophetę vaticiniū, quod defractū est, adligent, & quod abiectum est, reducāt. Duodecima primo anno, Decima tertia anno quarto, Erigii Regis Toletanæ Synodi hoc habent institutæ opera conueniens, quod Episcopi huc vocati, iussu Principis se cōuenisse, profitentur. Sed & hīc cōsident Seniores Palatini, Principiū, Synodali confessione, tanquā verè suū quid, Episcoporum electio subsignatur, & tandem ex Aule Regalis officio, sublimes aliquot viri, ad cōfessum, tractatum, censuram, subscriptionemq; Synodales diliguntur, quibus se quoque confessurum Rex ipse pollicetur. Circunduximus oculos officiōsē mentis, prope per omnes alicuius momenti variarum gentium Synodos, regiæ dignitatis in his, explorata in Ecclesiis earumque rebus, sublimitate: quia tamen nobis est cū prudentissimis exactiō, iudicii viris res futura, ne causentur medii seculi, (cuius eæ Synodi factura sunt) Episcopos, infra prioris seculi Ecclesiæ magistros, in imum propè puluerē, vel meticulosos, vel gratiosos, vel suę functionis parum callen-

tes elanguisse, & Principib⁹ ( queis familiare vitiū est efferri supra se, in magnis & mirabilib⁹ ambulare, & plus quam par sit, velle, in eum, qui supra recensitus est, Principatum, viam aperuisse ) super est nobis huius opellæ reliquias in hoc occupare , vt medii seculi Episcopos suis maioribus respondisse, illorumque fidem sequutos, in Ecclesiis locum Principibus solo Dei loco minorē, suo iure subscriptissime, nec illorum gratiæ quicquam cessisse, vel dedito doceamus : & quia cōmodissimus docendis vel admonēdis modus est, ex cōiunctis authoritatibus ad doctrinā, vel motionem gradum præstruere : videmur nobis operæ premium facturi, si antiquas etiam Gallorum Synodos superioribus anteriores discusserimus , vel vicinas Germanicas, & prope ( si non interueniret Rhenus ) coniunctas. Sumatur ergo nobis in manū Synodus Coloniensis , damnando Euphrati coacta, quarto Idus Maias, post consulatum Amantii, & Albinii: in ipso cuius limine, dilucet Episcoporum professio, ius ( hoc æuo ) plebis etiam fuisse Sacerdotes in Synodum cogere, repressuros, qui C H R I S T V M negassent, hæreticos. Nam h̄c recitata fuit epistola plebis Agrippinensium, qua excitati Episc. ad damnationē deploratissimi illius Euphratis cōuenerunt, Anno Cōstantii Imperatoris octauo : in qua & illud suo pondere locoque fraudandum nō est, quod ex subscriptionibus laicorum, loco deiicitur absens & inauditus Episcopus. Certè si tantum plebi laicisque hoc æui licuit, nihil plebis laicorumque Principibus

licuisse minus statuendum est, ne capiti in sua membra Principatum impudentissimi fures rapiamus. Arausicam, Decio iuniore viro clarissimo Consule, Gallia prouincialis ciuitatem, conuentu Synodico decoratam fuisse, veteres produnt historiæ, Cæsario pietatis & sacrarum literaturum laude, tum Arelatensi inter cæteros commendabili Episcopo. Occasio autem Synodi fuit dedicatio Basilice, ad quam Episcopos inuitauerat illustrissimus Praefectus & Patricius, Liberius. Sed alia nō inferior causa Synodum commendabiliorem fecit, id est, Pelagiani veneni lues, arrogansque supercilium, gratiā Dei negantis, salutemq; suam sibi adserentis, opposito sanæ doctrinæ pharmaco, repressum ne serperet, & iani prope naſcens in ipsis cunis suffocatū. Et quia definitionem (ait idem qui Synodo præfuit Cæsarius) sacri conuentus nō solum religiosis, sed etiam laicis medicamentum esse, & desideramus & cupimus, placuit, vt etiā illustres ac magnifici viri, qui nobiscū ad præfatam festiuitatem conuenerunt, subscriberent. Petrus ergo, Marcellinus, Fœlix, Liberius, viri clarissimi & illustres Praefecti prætoriis Galliarū, atque Patricii subscripserunt. Vnde fides est, anterioribus etiam seculis, ad confidendum, censendum, subscriendumq; suum Regibus, & Regū Praefectis, in Synodis Ecclesiasticis, locum fuisse, eumque non ad ihanes, vel oculos res, sed in tantæ grauitatis quāta fides est gratiæ, per quam si non renascimur, & renati in æternæ gloriæ municipatum, & perpetis immortalitatis co-

ronam reformamur, itē filii mansimus, futuri perpetuis ignibus in cibum & combustionem. Cantatissimæ toti orbi Synodo Nicenæ, fuit author ( & ut aliquid cum lectoris venia dicatur amplius) præformato, confessor & præfuit censor, quamvis humiliore throno, Constantinus veriore per religionem quam per Imperium titulo maximus. Priuata Sacerdotum iurgia, libellis oblatis vulgata, in C H R I S T V M , totius seculi venturū iudicem distulit, hoc testatus facto, nō sibi iudicandi defuisse potestatem, qui dissidentes, Episcopos, moderatiore, futurum Dei forsan acrius iudiciū, nolentes per imperatā dilationē morari ac præuenire iussit. Leone & Agathone Rom. Sedem regentibus, quæ Calchedonæ & Constantiopolis cōuenerunt Synodi nuperiores, Martianum Constatinumq; Principes paribus Imperii quanquā Paulo contractoribus fastigiis excelsos, præsentes, & Per Legatos nullis addicētos Eccl. ministeriis, sed pretorianos iudices, admiserūt absentes, cōfessus, cēsuraeque; vel Principes, vel (Romana etiā legatione non reclamāte) collegas. Repræsentauimus boni nomini debitores, æquis creditoribus, paetam in operis diuisione sponzionem, huiusque toto libelli conatu, veriusquam libello, totum, & per partes Principem, (solo in Ecclesia Deo minorem) reliquis eius ordinibus ad omnium bonarū rerum conuentus euicimus. authorem, Sententiarum, Subscriptionumq; vel certe collegā, & solum (qui summus in diuina iurisdiictione gradus est, decretorum Synodicorum, donis.

## EPISTOLA

sibi cælitus erogatis executorē, ut posthac (nisi pertinacibus ocioque abutentibus) non vacet inquire, Regem ne penes Synodarum rerum sit arbitrium, cæloq; manans Imperium. Membra monstrum est, non habere gratias Capitis communes, id est, non splendere fruique suo loco, Principis sui fulgoribus. Cum ergo summatem locum Regibus, (effreni pene testimoniorum cumulo) in Conuentibus ecclesiasticis reddiderimus, deesse videbimur officio nostro, si nō & plebē, etiam in participatū tanti culminis, vo cauerimus. Omnia Africanarum prima Synodus, Cypriani constantissimi & sacratiss. Dei Martyris auspiciis, hæreticos nō habere, quod discordia perdidérant, & prodiderant secedētes à fontib⁹ Ecclesie Baptisma, numero Dei Confessorū excercitu, præsente maxima plebis parte definiuit. Præludebant (scilicet) membra Christiana, suis capitibus, futuris olim Christianis Principibus, ut cum toto splendore diluxisset diuina in Ecclesiam suam gratia, radiis Regum coruscaret humilitas subditorum. Elibertinæ quoque Synodo, de capitis sui, id est, Regio priuilegio, præfens adfuit Christianæ Plebis numerosa congregatio. Titulus testis hoc præfert, residentibus etiā presbiteris, adstantibus Diaconibus, & omni plebe. Romana plebs insuper, dum Saxonius Otho medetur Ecclesiæ Romanæ in amouendo scelerato Ioanne Sacerdote languoribus ipsa supplicauit, ipsa censuit, ipsa cum suo capite Principe consummauit, & illi, de nomine sui testis obsequii, Dux quidam fuit

Imperiola, Imperii contractione suo capite minor,  
Imperator tamē suo, tantæ rei per veritatem socius,  
& nominis quadā diminutione particeps. Faceſſat  
ergo ridiculus infernē poëſis versiculus. Ite foras lai-  
ci, non eſt vester locus icy, & poſthac redeuntes ad  
mentis sanitatem deprauati Sacerdotes, Laicis Ba-  
ptismi reliquorumque ſacrorum conſortibus, Sy-  
nodicæ non inuideant vtilitatis participationē. Tu  
autem mente, ſedulitate, conatibus totis, opibus, ſtu-  
diis, iugibus vigiliis, ad instaurationem deprauatae  
religionis iam multos annos fœliciter incunibens,  
hifq; titulis, longè amplius q̄ gentili nobilitate (quan-  
quam lectissima) ſanctis & exactis iudiciis cōmen-  
dabilis ( Domine frater ) präcipitatam verius quam  
tractatā opellam, benignus excipe, & lectam,  
ſi non probas, ſupprime, ſi probas,  
(nō minus quam ego ipſe ſum)  
tuam, rebus exhibe com-  
munibus profu-  
turam.

1479127